BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Negrone, Giulio

R. P. Nigroni Genvensis, Societatis Iesv Presbyteri, Historica Dispvtatio De S. Ignatio Loiola, Eivsdem Societatis Iesv Fundatore, & de B. Caietano Thienaeo, Institutore Ordinis Clericorum Regularium

Colonia Agrippina 1630

4 V.ss. 296
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10693060-7

V. SS. 4°
296

10038000

V. SS.
296 4°

(Ignatius)

Nigronus

R. P. IVLII

NIGRONI GENVENSIS,

SOCIETATIS IESV

PRESBYTERI.


HISTORICA DISPVTATIO

DE S. IGNATIO LOIOLA, EIVSDEM

Societatis IESV Fundatore, & de B. Caietano Thienæo, Institutore Ordinis Clericorum Regularium.

Opusculum posthumum.

BIBLIOTECA
REGIA
MONACENSIS



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IOANNEM KINCKIVM sub Monocerote.

ANNO M. DC. XXX.



GODEFRIDI IAC. F. THOMASI
PHILOSOPHI ET MEDICI.

Joh. Jacob de Sandrart delineavit. J. Bapt. Homann sculpsit.

TYPOGRAPHVS
LECTORI S.

INcidit huc nescio qua ex peregrinatione vagum Opusculum R. P. Iulij Nigronij Societatis Iesu ingenio, & manu scriptum: quod equidem hospitio Typographiæ meæ vltrò vt debui, ac libenter excepi: Nam qui cæteras Authoris huius dum adhuc viueret, lucubrationes in lucem publicam proposui: vti & pios aliquos tractatus ab autore p. m. relictos Deo propitio breui dabo, vtinam plures posthumi, si qui sint, succedant; nõ alienum à me duxi munus euulgandæ huius etiam posthumæ partis: cum præsertim Apologiam contineat eorum, quæ alibi ab eo dicta, à me excusa, ab aliquibus in controuersiam reuocata sunt. Ita præter officij debitum, ius quoq; fuit, vt typos meos typis meis ipse defenderem. Accedit priuata mea, ac vetus Obseruantia erga Societatẽ Iesu, eiusq; sanctissimum Parentem, cuius præsertim honori haud parum lucis detrahi videbam, si hoc opus in tenebris iacere permitterem. Accipe tu, ac lege eo solum animo, quo à me legendum datur, nimirum vt suus veritati sit locus, quod vnicè authori fuisse propositum affirmare potius, quàm diuinare possum, tum ex stilo eius, vt video innocente, quippè in causam semper intento, nunquam in causidicum aculeato; tum ex moribus eiusdem, quos opti-

optimè noui, planeque concolores orationi suæ, religiosos, & candidos, nullumque aduersarium vnquam arbitrantes, nisi falsitatem. Quoniam verò maior ferè vis Disputationis huiusce in eo sita est, quod ex temporum supputatione omnino non potuerit Sanctus Ignatius Loiola, cum B. Caietano Thienæo Venetijs congredi: idcirco vt vno statim intuitu rem introspicias, opportunum censui fore, si huius ipsius argumenta in breuiarium ab Authore collata, in vestibulo, & quasi pro foribus totius Operis tanquam Synopsim, iudiciumque præfigerem. In re vniuersa, mihi satisfuerit obsequium præstitisse: tibi iudicium reseruatum scito, ac Vale.

SYNO-

SYNOPSIS TOTIVS DISPVTATIONIS, QVA OSTENDITVR CONGRESSVM S. Ignatij Loiolæ & B. Caietani Thienæi Venetijs assertum à R.D. Io. Baptista Castaldo Cler. regulari non videri possibilem.

1. REuerend. D. Io. Baptista Castaldus in epistola scripta contra P. Iulium Nigronum Soc. Iesu, vt astruat hos duos beatos viros potuisse inter se colloqui Venetijs, quod Iulius negauerat, has ponit tres propositiones.

Prima propositio pag. 8. *Potuit igitur B. Caietanus, vel sub finem anni 1535. vel sub initium trigesimi sexti Venetias petere, &c.*

Secunda prop. pag. 7. *Menses decem ab anni 36. initio vsq; ad extremos Octobris dies excurrunt, in quibus cum (Caracciolo & Tufo testibus) nihil egerit Neapoli Caietanus, potuit Venetijs cum Ignatio consuetudinem habere.*

Tertia propos. p. 7. *Nec miretur Nigronius, modò Neapoli, modò Venetijs Caietanum breui temporis interuallo adfuisse, cum nascentis familiæ commoda parens optimus fortasse moderari non posset, nisi tribus alijs socijs Venetam ciuitatem in tempestate excolentibus ad consilium vocatis.*

PRIMA PROPOSITIO OPPVGNATVR.

2. IN ea hæc est argumentatio. B. Caietanus excurrere potuit Venetias, igitur excurrit. Prudenter Franciscus Sacchinus in dissertatione de hac re: *Sicut fieri potuit*, inquit, *vt iret, ita vt non iret. Quinetiam de commoratione Neapolitana constat, de Veneta excursione non constat: sola coniectura ducitur ex hoc facto, quod est in quæstione: quod est alioqui tale, vt ex eo ipsa profectio negari probabilius, quàm affirmari queat. Nihil igitur factum profectionem adstruit, sed potius destruit. Nam vbi infirma imponuntur infirmis, vtraq; citius collabuntur.* & alia quædam addit in eandem sententiam non minus apta & probabilia. Verum quoniam ille studuit in ea disputatione breuitati, conferam huc ipse aliquid de meo.

3. Corroboro Francisci dictum, Posse facilius ac verisimilius excursionem Venetam negari, quam affirmari, per id, quòd ad eam probandam Castaldus nullam affert solidam probationem, nisi coniecturam, opinationem suam, & potentiam physicam. Ceterum facta non præsumuntur, nisi probentur; vt ex iure ciuili copiosè confirmat Iason celeber Iurisconsultus. Non produxit Castaldus, ne in hac quidem secunda scriptione, aut traditionem seniorum, aut scripturam aliquam, vbi aliquis odor huius profectionis Venetæ atque colloquij sentiatur. Rerum enim antiquarum, & ante nos natos gestarum memoria, per hunc duplicem ductum ad posteros deriuatur: quod in Ecclesia quoque Catholica vsu venire tradunt Concilia, Patres, & recentium hæresum oppugnatores. Immo à Clericis regularibus propter probitatem, doctrinam, ætatem fide dignissimis accepimus, nihil in ea Religione auditum hac de re, nisi post vitam B. Caietani editam, & excitatam disceptationem. *Iaſ. in l. si emancip. n. 2. ff. de collat.*

4. Deinde hæc ratio argumentandi à possibili ad esse, qua Castaldus vtitur in hanc formam, *fieri potuit, ergo fuit*, infirmissima est omnium testimonio, qui Logicam à limine salutarunt. Sola enim inficiatione disparet. Hinc Aristoteles (vt scienter Suessanus inter alios explicat) docet causam nõ necessariã, etiã positis omnib. incitamentis & adiumentis ad ambulandũ, aliquando non ambulaturã: quia causa libera est. Multo minus affirmare possumus B. Caietanum perrexisse Venetias, cum posset pergere; tum quia causa libera erat; tum quia non constat nobis habuisse incitamenta vlla profectionis: neq; Castaldus alium impulsum attulit, nisi gubernationem familiæ nascentis; sed attulit adeò timidè ac dubiè per verbum *fortasse*, vt *Ar. l. 2. de gen. t. 64. Aug. Niph. Suess. ibid.*

liquidò appareat non illi certam solidamque rationem videri; vt paulò post demonstrabo eam elidendo.

5. Adde captiosam argumentandi rationem censeri,& ad captionem consequentis reuocari;vbi minus commune infertur ex magis communi;vt si dicas, *est animal, ergo est homo.* Falsa est hæc consecutio. Similiter in re proposita, ex potentia, quæ anceps est ad esse,& nõ esse, infertur determinate, esse. Præterea si hæc illatio admitteretur absolutè, in humana vita, nihil certum haberemus in historijs; quoniam historici fingerent, quę vellẽt: verbi gratia: Mortuum traderent hoc anno regem illum, quia mori potuit. Nihil iusti despicerent in iudicijs iudices; si, quia Milo parare potuit insidias Clodio, ideo parauisse dicatur,& credatur. Tollendus item esset è corpore ciuilis iuris titulus integer de damno infecto. Nam ex Caio iurisconsulto: *Damnum infectum est, quod nondum factum est, sed futurum veremur, quia fieri potest.* Denique euerteretur propositio de fide, quæ est: Deum facere posse alia multa, quæ non fecit, aut facit, vt explicat S. Thomas, & cum eo Theologi docentes, Deum non omnia fecisse, quæ sunt possibilia, quæque ipsius infinita potẽtia producere potuit ac potest.

l. 2. ff. de dãno infecto.

S. Th. 1. p. q. 25. ar. 5.

Val. q. par. 1. q. 25. disp. 106. c. 3.

6. Præterea Venetæ profectioni sub finem anni 1535. obstat B. Caietani prudentia gubernandi, zelus ipsius animarum,& diuini cultus obseruantia. Celeberrimis enim diebus Natalis Domini abfuisset ab Ecclesia sua, deseruisset tum domesticas ouiculas, quibus præerat in Monasterio Parui Stabuli Neapolitano; tum extraneus, quarum iam erat factus Pater spiritualis, earumque curam habebat diligenter. Etenim multo senior anno 1547. quo excessit è vita, Roma rediens, vt Ascensionis die cum socijs suis in cœnobio atque in odeo interesset Neapoli, fessus licet pridiano itinere, noluit Atellæ conquiescere, sed nocte ipsa Neapolim excurrit; quod ipse Castaldus cum Antonio Caracciolo testatur. Non est igitur credibile prudentibus rerum æstimatoribus, tam sanctis diebus, quibus opera ipsius adeo necessaria erat filijs domesticis & extraneis, præsentiam suam eripuisse illum, qui vt choro interesset, tantum laboris suscepit.

Castald. in vita B. Caiet. c. 8.

Ant. Carace in Caiet. p. 250.

7. Deinde quamuis Venetias profectus esset Caietanus sub anni 1535. finem, tamen non potuisset eo anno 1535. colloqui cum Ignatio, qui nondum eò peruenerat, sed anno 1536. vt ipse Castaldus fatetur, existimans sub initium anni 1536. contigisse; sed quam propè ab initio, mox viderimus. Si dicatur B. Caietanus post festa natalitia celebrata, diemque Epiphaniorũ Venetias excurrisse, duæ contra Castaldum emergunt rationes. Prima est aduersa periculosaq; nauigandi tempestas, media hieme, in Adriatico mari, tum in itu, tum in reditu. Quam itineris rationem asserit consuetam fuisse Caietano, cum ait, eum potuisse *Rebus cum socijs compositis, Adriatico transfretato, vti solebat, Neapolim iterum redire.* Altera ratio est, quòd non poterat cum S. Ignatio colloqui, nisi diu Venetijs substitisset, cum ille Venetias non peruenisset nec Ianuario, nec Februario mense, vt post docebitur.

Inf. n. 11.

Castal. ep. pag. 8.

Inf. n. 11.

SECVNDA PROPOSITIO ENERVATVR.

8. IN hac propositione, primum video non posse stare, quod ait Castaldus, nihil egisse B. Caietanum Neapoli decem mensibus anni 36. ab initio vsque ad Octobrem exeuntem, atq; id ex testimonio Episcopi Tusi,& Caraccioli. Nam Caracciolus perspicuè asserit anno 36. à B Caietano obseruatum ac deprehensum Bernardinum Ochinum hæreticum in æde S. Ioannis Maioris concionantem. Confirmat id Castaldus in hac epistola, declarans insuper id non euenisse Quadragesimali tempore *sed diebus festis:* quos intelligo esse illos, qui Pascha & Pentecosten sequuntur. Nam concionatores viribus aliquantisper refectis post quadragesimã, sub æstatẽ conciones habent. Obseruatio autem hæc, vt indicat Caracciolus, non fuit vnius diei, sed multorum: cum interdum ipse hominem audiret, aliquando submitteret sodales suos animaduersores; nec versutissima vulpes tam perspicuè se proderet, vt non esset necessaria frequens & diuturna notatio. Quo fit, vt ex decem illis mensibus, magna pars Neapoli sit consumpta in Ochino deprehendendo; & necessario Neapoli perstiterit. Quòd si velit Castaldus notatũ ante quadragesimã, in maiores difficultates incurrit. Non. n. id cõtigisse potuit nisi Ianuario & Febr. mense, quo tẽpore in 1. propositione asserit fuisse Venetijs.

Carac. p. 241.

Castal. ep. p. 7.

9. Alterum quod subsistere non existimo, est tam diuturna mora B. Caietani Venetijs, si venit illuc initio anni,& non egit cum S. Ignatio, nisi mense Augusto aut Septembri, quod non negat euenire potuisse Castaldus. In hoc casu verum non erit quod scripsit Caracciolus, B. Caietanum, quo tempore discessit ad comitia Romana Napolitan. 35. *Iam biennium domum*

Carac. p. 234.

mum Stabuli ſumma cum laude rexiſſe. Quis verè dicat biennium gubernaſſe; qui decem menſes abfuit? quæ laus in gubernatione Vicario tam diu relicta? Non dici poteſt excurſio, tam diuturna commoratio: aut ſi velit excurſionem verè eſſe, breue aliquod tempus, idq; certum ac fixum aſsignet, & tunc oſtendam, ne in eo quidem colloquium accidere potuiſſe.

10. Tertio, vt veritas eluceat, partiar hos decem menſes in partes. Sit prima pars duorum menſium Ianuarij & Februarij vſque ad Cal. Martias, in quas eo anno inciderat dies cinerarium. Hoc tempore non erat Venetijs S. Ignatius, quod euidenter demonſtro. E Ioannis Petri Maffei narratione, cui adſtipulatur Ioannes Lucena ſcriptor vitæ S. Franciſci Xauerij Luſitanicè (quæ Italicè quoque legitur) S. Ignatius Pariſijs diſceſsit in Hiſpaniam an. 35. *Per autumni tempus*; Hæc ſunt verba Maffeij, quæ ſignificant in ipſo autumno iter cepiſſe; qui ab æquinoctio ducit initium; quod tunc anno nondum reformato, in medium fere Septembrem incidebat. Immo ex Orlandino, *vergente ad exitum anno* receſsit. Et valde rationi congruentiæque congruebat, vt homo valetudinarius, vt tunc erat, remiſsis caloribus æſtiuis, iter longum capeſſeret. Periti viarum illarum mihi aſſeuerarunt, quindecim omnino dies ad illud iter eſſe neceſſarios. In patria verò commoratus eſt *Per tres menſes*: hæc verba ſunt Cardinalis à Monte in relatione ex proceſſu facta Papæ Gregorio XV. in conſiſtorio ſecreto. Quæ ideò refero, vt intelligat Lector, in itinere & commoratione in patria totum annum trigeſimum quintum & aliquid amplius eſſe conſumptum: nec Venetijs tam cito eſſe potuiſſe: quod ſic oſtendo.

Maff. l. 26. vitæ, c. 1.
Lucena l. 1. vitæ c. 4.
Orland. l. 1. nu. 99.
Card. à Monte in rela. conſiſt.

11. Ponamus receſsiſſe à patria S. Ignatium poſt Cal. Ianuarias (nam antea ex dictis nullo modo potuit) Inde pedes, quia melius habebat, vt tradunt omnes hiſtorici, Nauarram & Caſtellam; quæ ſunt prouinciæ, peragrauit: Pompeiopolim, Almazanum, Seguntum, Toletum vrbes luſtrauit: mandata ſociorum exhauſit, negotia expediuit, veterum ſociorum ſtatum ac voluntatem inueſtigauit & cognouit, & tandem Valentiam ſe contulit. Singillatim & minutatim hæc omnia referuntur, vt Dominus Caſtaldus conijciat, multo ad id tempore illi opus fuiſſe. Nec enim negotia tam multa, tot locis inter ſe diſsitis ſparſa, curſim explicari potuerunt. Itaque non niſi adulta hieme Valentiam inijt. Non illico inde ſoluit: quia conſultationes cum amicis de ratione nauigationis præceſſerunt. Nauigatio & tempeſtas in ea excitata ſuum ſibi tempus rapuerunt, antequam caperet portum Genuenſem. Genua diſcedens itidem pedes, multos dies in illo periculoſo itinere per Apenninum inſumpſit, vt Bononiam perueniret. Bononiæ, Ribadeneira teſte, ægrotauit: in collegio Hiſpanorum moratus eſt aliquot dies, ex Maffeio & Orlandino, vt vires reficeret. Aliquid etiam temporis itineri, quo Bononia Venetias perrexit, datum eſt. Si ſumma fideliter ſupputando colligatur, non ante finem hiemis Venetijs conquieſcere potuit. Aſſeruatur in archiuo noſtro Romano, narratio quædam Ioannis Polanci, qui cum S. Ignatio diu vixit, eiq; fuit ab Epiſtolis: extantque præterea ſcripta, vnde Franciſcus Sacchinus Secretarius Societ. à me hac de re conſultus reſpondit, colligi non perueniſſe Ignatium Venetias ante finem hiemis. Itaq; licet affirmare ſub finem Martij anni 1536. ad eam celeberrimam vrbem appuliſſe. Non enim in regionibus frigidioribus Italiæ, quales ſunt Venetiæ, polum arcticum 45. gradus eleuatum habentes, finiri ſolet hiems, niſi poſt vernum æquinoctium.

Rib. l. 2. c. 5.
Maff. l. 2. c. 2.
Orlan. l. 1. §§ 118.

12. His poſitis, nego Beatos hos viros menſe Ianuario, & Februario inter ſe collocutos: quia Sanctus Ignatius nondum Venetias peruenerat. Neque Martio potuit id euenisse has ob cauſas. Prima ex parte S. Ignatij, qui ſub finem Martij venit, vt probatum eſt. Secunda ex parte B. Caietani, qui verisimiliter iam ad ſuum ouile remigrarat, vt eſſet Neapoli quadrageſimæ ſanctiori tempore, quæ, vt dixi, Calendis Martijs inchoabatur. Quod ſi velis detinere Caietanum vſque ad finem Martij, vt tunc cum Ignatio colloquatur: tunc noua ratio naſcitur cur abeſſe debuerit B. Caietanus. Nam dies Dominicæ reſurrectionis eo anno in ſextum decimum diem Aprilis incurrebat. Quamobrem ſi non redierat ante cineralia, certè Martio exeunte ſoluere Venetijs debuit, vt Neapoli pœnoſam hebdomadam cum ſubſequente paſchate in ſuo Monaſterio tranſigeret, vt huiuſmodi feſtos dies ſolemniores conſueuerat. Nec dicatur fuiſſe collocutos in illo interſtitio, quod potuit eſſe inter aduentũ Ignatij & diſceſſum Caietani. Tum quia colloquium illud ex Caſtaldo, non fuit vnius diei, ſed multorum, in quibus opera data eſt orationi, antequam Ignatio reſponſum daretur.

Tum,

Tum quia, cum redire soleret Caietanus mari, & eius nauigatio sit incerta, debuit ex prudentiæ præscripto anticipare discessum, vt posset esse Venetijs in solemnitatib. præscriptis.

13. Tertia ratio: Si B. Caietanus sub finem Martij discesserit, necessariò Venetijs tres menses fuit. Eo enim ex Castaldo sub initium anni excurrerat. At quæ negotia, tam ardua, tamque multa erant in Religione constante, duobus tantum domicilijs, quæ octo quindecimue diebus expediri non possint? præsertim cum post paucos menses ad Romana comitia conueniendum esset. Atque hęc ratio validior est, si B. Caietanus detineatur à Castaldo Venetijs Aprili mense, ac Maio, vt cum S. Ignatio colloqui possit: quoniam improbabilior est mora tam diuturna, etiam ob rationem dictam n. 9.

14 Dato & non concesso B. Caietanum substitisse diutius Venetijs, vtputa mensibus Aprili & Maio, dilemmate vtor. Aut S. Ignatius cum primum descendit è nauicula, cœnobium adijt S. Nicolai, aut post aliquot dies. Primum non est verisimile. Tum quia certissimum est, non tam serò venisse Venetias, sed ante mensem Aprilis. Tum quia erat illi incognita noua religio & pusillus grex, versato diu in Gallia & Hispania remotis ab Italia regnis. Et si Neapoli, cum habitarent Patres in ędeMisericordiæ, mutarunt anno 34. domicilium, eò quòd (sic loquitur Caracciolus) *Plerique omnes vix de nomine, aut ne vix quidem nostros patres, nouiq; Ordinis institutum nouerant:* quid mirum in Galliam & Hispaniam pusilli tunc Ordinis, & vix nati famam nequaquam peruenisse?

Caracc. p. 223.

15. Præterea pugnabat cum bonis moribus S. Ignatij qui nobili loco natus erat, & in aula regia educatus; vt ignotus hospes in hospitium incognitum non inuitatus sese intruderet. Quis illum, si id feciſſet, non existimasset inofficiosum atque inurbanum? Adde non adeò in illo ingressu Veneto Ignatium eguisse, vt cogeretur in hospitium gratuitum diuertere, ac diuersorium emendicare. Tulerat enim secum in syngraphis mercatorijs aliquantum pecuniæ (teste Maffæio) quam statim vt peruenit, exegit. Postremo Castaldus ipse consentit mecum, tum in vita Caietani, tum in epistola, cum ait S. Ignatium, *Dum Venetijs moraretur cum B. Caietano consuetudinem habuisse &c. Cum Venetijs moraretur*, scripsit: non autem, *cum primum venit*. Quòd si quis obijciat contrarium opinari eum, qui articulos pro canonizatione B. Caietani composuit, in quibus scripta sunt hæc verba: *B. Ignatius Loiola cum ex Hispania Venetias venisset, à B. Caietano fuit benigne humaniterq; exceptus:* huic respondeo veritatem vnam tantum esse: atque ex hac varietate narrationis colligi perspicuè, nihil esse certi de hac collocutione Beatorum in ea religione, in qua tantopere seniores discrepant: proinde congressum illum, de quo disceptatur, euanescere.

Maff. l. 2. c. 2.
Castal. ep. p. 5.
Artic. §. de relig. pag. 20.

16. Si dicatur congressum illum accidisse post aliquantum temporis ab aduentu, suboriuntur æquales difficultates. Primum nimis diu retinetur Venetijs Caietanus, quem stabiliendi domicilij necessitas expectabat, quòd incommodè in paruo stabulo habitarent: & alias ob causas explicatas n. 8. & 9. Deinde si dicas Caietanum ad nauigasse Venetias post pascha: contradicis Castaldo, qui putat initio anni illuc excurrisse, non anno medio: aduersaris Caracciolo, qui tenet illum Neapoli occupatũ in obseruando Ochino, vt dixi n. 8. Tertio, cum S. Ignatius iam haberet domicilium vtcumque stabile, vel pecunia conductum, vel apud Hispanum amicum, vbi libere pro more suo cum proximis ageret, vt eos Deo lucrifaceret, est improbabilissimum habitasse multos dies in Monasterio S. Nicolai, vt significat Castaldus.

17. Pono tamquam certum ex communi consensu, S. Ignatium Venetijs in suspicionem praui dogmatis adductum, & falsis criminationibus impetitum; remque ad Apostolicum nuntium dilatam: per occasionem, quod operam daret proximis ad meliorem vitam perducendis. Inimicissimus enim otij, & cupidissimus animarum saluandarum, vix Venetias attigerat, cum è vestigio cœpit facere quæstus spirituales, quod Castaldus concedit: immo & socios comparare sibi ad augendam societatem animo designatam. Hoc posito rursus dilemmate vtor. Aut petiuit habitum à Caietano antequam tempestas à maleuolis excitata, per iudicialem sententiam conquiescceret; aut post. Non ante. Primum, quia non placet id Castaldo; qui non vult S. Ignatium ad Carafæ consuetudinem admissum, nisi consedata procella. Ergo multo minus à B. Caietano erat domum recipiendus, & audienda petitio hominis, cuius dicebatur in Hispania ob hæresim statua combusta. Deinde obstat ratio. Nam Iguatius sciens

Castal. ep. p. 9.

suum

suum nomen esse magna infamia denigratum, non adeò erat imprudens, vt ante iuridicam ac legitimam purgationem peteret se in eum ordinem adscribi, in quem pro certo habebat, se non receptum iri: obstante zelo Carafæ, ceterorumque Patrum prudentia, qui numquam hominem tanti criminis accusatum & suspectum in suum sodalitium admisissent. Dices, fortè petiuit antequam commoueretur tempestas. At quis credat, tunc petiuisse alium ordinem, cum socios inquirebat & comparabat ad locupletandum suum?

18. Neque potuit petitio illa fieri compressa per sententiam infamia. Nam ea lata est multo seriùs, quàm existimauerit Castaldus; qui mihi persuadere conatur in epistola *non paucis diebus* absolui potuisse iudicium. Assero ergo sententiam absolutoriam à Vicario Nuntij latam die xiij. Octobris anni non 36. quo suspiciones aduersus S. Ignatium natæ sunt, sed sequentis 1537. Atque id perspicuum est ex ipsa sententia, quæ in tabulario Romanæ domus asseruatur, testibus Ribad. & Orlando. Legit eam nuper accuratè Franciscus Sacchinus Secretarius, qui ad me scripsit se non esse deceptum à notis numerorum, quæ integræ sunt: & præterea nihil de anno dubitandum; quoniam absoluitur Ignatius Sacerdos, qui Sacerdotio fuit initiatus cum socijs, vt quinque tradunt historici, die 24. Iunij anni prædicti 1537. Itaque absolutio Sacerdotis non potuit esse anno 1536. quo nondum erat Sacerdos. Et si pronuntiata fuisset sententia 13. Oct. 1536. non prodesset Castaldo, quoniam eo tempore Caietanus velerat in itinere Romano, vel ad illud se parabat Neapoli. *Castal. p. 9. epist.*

TERTIA PROPOSITIO CONVELLITVR.

19 DVobus impulsibus corruit fundamentũ Venetæ profectionis à Castaldo iactum: nimirũ necessitas gubernandi nascentem familiam. Primus erit, si dixerim Caietanum non fuisse primum Ordinis institutorem, cui competeret eius gubernatio. Nam legi viginti & amplius scriptores, nominandi si fuerit opus, qui Io. Petro Carafæ Theatino Episcopo tribuunt institutionem. Inter quos est qui funebrem eius orationem habuit: Io: Paulus Flauianus, & Antonius Carafa Cardinalis eius consanguineus, qui veritatem bene norant. Recensentur inter eos quinque ex ipso Ordine, qui Carafam Institutorem, absolutè vocant sine limitatione, vel primum institutorem & caput, vel primum fundatorem & conditorem; & ab ipso Castaldo dicitur in eius vita institutam ab eo suam religionem; eundem suæ religioni dedisse principium & regulam: verum quoniam declinaturus est ictum, dicens ambos diuersa ratione fuisse primos fundatores, ideo transeo ad secundum impulsum; quamuis distinctio non satisfaciat, cum non assignetur ratio, cur Caietano potiùs, quàm Episcopo gubernatio debeatur. *Carac p. 58. & seqq.* *Castal. c. 17. vita Pauli Papa.*

20. Est ergo alter impulsus hic. Per illud tempus, quo dicitur Caietanus excurrisse Venetias, non ille nascentem familiam regebat, sed vel qui domui Venetæ præerat, vel Carafa. Dixi, qui domui Venetæ præerat; quia vt tres ipsorum historici tradunt, Carafa emissa professione electus fuit illico, *in primum Præpositum & caput totius gubernationis*. Hæc sunt verba Castaldi: ex quibus intelligas à præposito gubernari o dinem, & quia definitum fuit à Papa Clem. VII. vt gubernatio triennium ne excederet, an. 1527. Venetijs, quo se receperat, post Romanæ vrbis direptionem, referente Caracciolo, elegerunt Caietanum pastorem parui gregis. Hic ex lege deposuit gubernationem an. 1530. Quis ei successerit non planè constat, sed probabile iterum regimen delatum Carafæ, qui dicitur à Caracciolo præpositus esse an. 1532. Carafæ successit Bonifacius à Colle, qui ex eodem Caracciolo præfuit domui Venetæ ab anno 1533. ad an. 1535. Bonifacium secutus est Bernardinus Scottus. Nam, vt tradit Io: Baptista Tufus Episcopus Acerrarum in historia Ordinis, quo tempore Carafa Romam euocatus est à Paulo III. Venetam domum regebat Bernardinus Scottus. Quamquam Caracciolus scribit Romæ Scottum fuisse electum præpositum Venetæ domus. Fortè dici potest fuisse confirmatum, vt eorum dicta concilientur. Si ergo gubernatio totius Ordinis erat penes præpositum Venetum an. 35. & 36. siue is esset Scottus, siue alius, necessario excluditur à Caietano qui erat præpositus Neapoli. *Castal. c. 2. vita Pauli & c. 3. vita Caiet.* *Carac p. 212.* *Id p. 214.* *Id p. 25.* *Tuf c. 5. hist* *Caracc p. 234.*

21. Si dicat Castaldus, alium fuisse gubernatorem Ordinis, alium Veneti cœnobij, facile assentiar. Tradit enim Caracciolus an. 1528. missum Bonifacium cum septem socijs Veronam, *à Theatino Episcopo & Caietano, penes quos tum rerum summa erat.* Hoc anno erat præpositus *Carac. p. 270.*

Caietanus, vt scribit idem Caracciolus: cur se Carafa immiscet in missionem Veronensem? quomodo summa rerum penes vtrumque? Non potest aptè responderi, nisi quia Caiet. domum, Carafa ordinem regebat. vt vt res sit, quo tempore Caietanus præerat domui Neapolitanæ, pauloque ante summa rerum & ordinis gubernatio erat penes Carafam, & non apud Caietanum; quod euidenter demonstratur sequentibus argumentis ex ipsorum historijs.

Tuf. c. 4. hist. Caracc. p. 214. & seq.

22. 1. Carafa rogatur à ciuitate Neapolitana per litteras, vt socios mittat Neapolim; quod non feciſſet, nisi agnouiſſet eum rectorem Ordinis. 2. idem pro imperio an. 1533. mittit Neapolim Caietanum cum socio Ioanne Marinono. 3. Paulo post mittit eodem sex alios in subsidium. 4. Caiet. creatur absens præpositus gregis Neapolitani, decreto comitiorũ Venetijs scripto. Non ergo ipse ordinem regebat 5. Discedens Venetijs idem humilitatis & indifferentiæ memorabile exemplum edidit, recusans sibi socium eligere: quod est argumentum non fuisse rectorem ordinis, sed agnouisse pro capite Carafam, qui mittebat. 6. Carafa scribens ad sororem an. 1534 ait à se missos Caietanum & Marinonum, quæ verba significant potestatem, etiam in ipsum Caietanum, atque hæc omnia leguntur partim in Epistola Tusi, partim in Caraccioli historia.

Carac p. 25.

23. Septimum argum. est epistola Carafæ scripta socijs missis Neapolim an. 34. quam refert ad verbum Caracciolus: in qua loquitur tamquam potestatem habens in vniuersum ordinem: quod in optimo viro, qui dignitates maiores repudiauerat, non est tribuendum arrogantiæ, sed legitimæ auctoritati. In ea primum reijcit duos à socijs Neapoli commorantibus propositos sibi, vt in ordinem reciperentur. Cur illi proponuntur, nisi quia rector gregis? cur non adscripsit in ordinem Caietanus, si ipse familiam nascentem moderabatur? 2. Cogitat Carafa de Caietano Romã mittendo, vbi Pontifex in vrbem redijsset. 3. Transmittit Neapolim formam professionis à Petro Veronensi faciendæ. 4. Ait se promouisse ad diaconatum Gregorium, & euecturum ad sacerdotium. 5. Recipit in Relig. Simonem Bergomensem sine consensu Caietani. Hæc acta sunt religiosæ potestatis, exercitæ in socios Neapolitanos, & speciatim in Caietanũ. Si ea egit vt præpositus, ergo præp. Venetus gubernabat familiã totam: sin autem præpositus non erat, certè imperabat omnibus, etiam absentibus, vt rector Ordinis, qui cęperat dilatari. Adde quod sub finem anni 36. Caietanus redijt Neapolim sine dignitate, ac subiectus Petro Veronensi nouo præposito, ex Caracciolo.

Caracc p. 234.

24. Ex hoc ipso capite, quod Caiet. an. 35. & 36. non præerat ordini, non solum ruit fundamentũ actionis Venetæ, sed etiam intelligitur, esse improbabilissimã petitionem ab Ignatio prudentissimo viro factam Caietano, qui non erat superior, neque cœnobij Veneti, vt certiss. est, neque Ordinis vt demonstrauj; neque facultatem habebat adscribendi vllum in ordinem Cur non egit potius de mutatione vitæ cum Carafa? Respondebit Castaldus: intercesserant simultates. At ego nouo dilemmate argumentor: vel Carafa erat amicus Ignatij, vel ab eo alienior. Si amicus & cognitus, quidni ad illũ accurreret ad petendũ habitum? sin alienior, Ignatius minimè tentasset, aut per se, aut per alios aperiri sibi ianuam religionis à parum amico erectæ ac gubernatæ, vel in qua plurimum posset tenens primas. Si dixeris conuenisse Caietanum, vt eo tamquam internuntio cum Carafa supremo familiæ rectore vteretur, pugnabis cum Castaldi narratione, in qua Caietanus tamquam potestatem habens recipiendi, audit Ignatium petentem, & repellit auditum. Quamquam reuera neminem adscribere poterat in ordinem is, cuius petitionem de duobus Neapolitanis Carafa reiecerat. Denique per hoc effugium non eneruatur vis dilemmatis, de simultate cum Carafa & suspicione praui dogmatis, ob quas, ne opera quidem interuentoris Caietani à Carafa fuisset admissus.

HISTO-

HISTORICA DISPVTATIO DE B. IGNATIO LOIOLA

Societatis Iesu fundatore, & de B. Caietano Thienæo, institutore Ordinis Clericorum Regularium.

1. PRODIIT in lucem anno 1612. vita B. Caietani Thienæi, è religiosissima familia Clericorum regularium, quos vulgus Italorum Theatinos appellat; edita Mutinæ atque Italicè scripta perelegant ab admodum Reuerendo Domino Io. Baptista Castaldo, eiusdem Religionis presbytero Theologo, qui eum nominat sui Ordinis fundatorem. Legi equidem auidissimè, cum primum in meas manus venit, cupiens inuenire aliquid, quo meos commentarios asceticos & dissertationes, quibus poliendis tum operam dabam, locupletarem; quod, vt in ijs videre licet, obtinui: &, quoad potui, præstiti perlibenter. Inter legendum hæsi diu, rei nouitate detentus, in capite tertio: vbi Auctor agens de fructu spirituali ab ordine suo in Ecclesia Dei producto per B. Caietanum, hæc habet, de B. Ignatio Loiola fundatore Societatis Iesu, ad verbum ex Italico interpretata:

" Hæc noua planta diuino fœcundata fauore, adeo suum odorem feliciter, & cum vniuersali applausu sparsit, vt cum illum B. Ignatius Loiola Venetijs anno 1536. olfeciisset, plenus eo spiritu, qui eum coegerat deserere duplex terrenę militiæ periculum, quo meliori spe aliquem Ordinem militiæ spiritualis ac religiosæ arriperet, conatus est eiusmodi bono propius frui. Itaque diebus aliquot commoratus est in cœnobio S. Nicolai Tolentinatis, ab illis Patribus magna charitate tractatus. Postmodum cum ad illum viuendi modum impensius esset affectus, petiuit à B. Caietano, vt se in ipsorũ cœtum aggregaret, atque habitu eiusdem Religionis indueret. Verum noster Beatus præuidens, atque ex nobili modo agendi B. Ignatij præsagiens copiosum fructum, quem producturus erat, respondit illi (quod in negotijs arduis solitus erat) vt preces pro ea re Deo fũderet ipse, quẽadmodum etiam Patres erant supplicaturi; & post hæc susciperent eam deliberationem, quæ à Domino demonstrata fuisset. Ita fecerunt: & aliquot diebus elapsis Caietanus Ignatio renunciauit, quòd Spiritus sanctus non illum quidem vocabat ad hanc Religionem, sed quòd seruitium Dei futurum fuisset, vt ipse aliam presbyterorum pariter, sed actuosiorem fundaret. Quo modo prorsus contigit felicibus progressibus anno 1540. sextodecimo post nostram institutam. Hactenus Castaldus.

2. Cum hæc perlegissem valde miratus sum, quòd ne minimus quidem rumor, aut, vt meliùs dicam, ne tenuissimus quidem susurrus huius petitionis sese insinuasset in aures meas, per tot annos, quibus in hoc Ordine vixi, ab anno trigesimo primo eiusdem, per Apostolicam sedem confirmati. Quo tempore curiosissimè peruestigaui, quà legendis litterarum monumentis, quà senioribus interrogandis, initia & progressiones meæ Religionis, tum vt satiarem animum meum auidum cognitionis eiusmodi rerum, tum vt in asceticis elucubrãdis, ne quid calamo excideret, quod non esset omnino certum,

aut cuius ratio à me reddi non posset luculenter. Dum hæc suspensum me tenet admiratio, Claudius Aquauiua Præpositus vniuersæ nostræ Societatis, vir testimonio Romanæ curiæ atque vrbis, ne dicam orbis, optimus ac prudentissimus, simul certior factus de hac narratione, & simul obtusus clamoribus Italorum Patrũ, qui hanc historiam à Dom. Castaldo, quãquam bona mente, vulgatam legerant, rati contrariam esse veritati, ac B. Parenti nostro Ignatio, ne quid grauius dicam, indecoram abhorruerunt: iubet àme quamprimum arrepta occasione Castaldum ad veritatis & religiosæ modestiæ normam amanter confutari. Viderat enim non aliam esse rationem educendi è mentibus hominum hunc errorem, è narrationis huius lectione haustum, nisi confutatio pariter impressa chalcotypis vulgaretur. Parui, vt debui, confestim: scriptam responsionem Romam transmisi corrigendam: mox accuratissimè seniorum ac peritissimorum Patrum oculis recognitam, seueriss imoque censorio iudicio eorum, qui Societatem regebant, examinatam, in secunda editione meorum commentario. rum asceticorum, quæ tunc parabatur, inserere placuit anno 1616. qua parte de prędictionibus disputabam, quæ Societatem nostram olim fore in Ecclesia Dei pollicebantur. Vnde in tertiam quoque editionem Germanicam anno 1617. transcriptam videas. Licuit id P. N. Claudio, & mihi & omnib. sodalibus B. Patris filijs amantissimis, parentem nostrum ab incõstantiæ macula, quæ illi (quamquam à nolente) imprimebatur, vindicare. Ac nisi id ille iussisset, officio suo procul dubio defuisset, cum eam defensionem, & nostrorum historicorũ honos, & sociorũ clamor, & res ipsa deposceret. *Qui præpositum suum non protexit, cum posset*, inquit vetus iurisconsultus Arrianus Menander, *in pari causa factori habendus est*. Et Vlpianus: *semper hæredis interest, defuncti existimationem purgare*. Quod si hæres actionem iniuriarum habet aduersus eos, qui cadaueri iniurioси fuerunt, quia id spectat ad existimationẽ hæredis; atq; idem est si fama defuncti laceſſatur; vt eadem lex definit: potiori iure licitum erit & debitum à filijs famam, nomen bonum, decusq; parentis, quamquã non iniuria voluntaria violati, à qualicũq; iniuria tueri. Vt autem Lectori sit ad manũ ea cõfutatio, hic describitur, quę sic habet.

Iul Nigr. com. ascet. part. 3. tit. 2. 12.

L. omne ff. de re milit. L. 1 § quoties, de iniurijs.

L. 1. § item eodem.

3. Nec verò imprudens prętermitto prędictionem, quam Ioannes Baptista Castaldus Clericus regularis prodijsse scribit ex ore Caietani Thienæi fundatoris suæ religionis; quia nullam habet probabilitatis speciem: nec res nostras fulcire debeo rationibus, quæ conuinci possint falsitatis. Is in vita prædicti Caietani scripta Italicè tradit multis, quod ego paucis refero, B. Ignatium nostrum anno 1536. Venetijs dies aliquot in cœnobio S. Nicolai Tolẽtinatis hospitem magna charitate tractatum à Clericis regularibus substitisse: probitatem illorum Patrum olfeciss e propius, viuendique rationem adamasse; proinde flagitasse à Caietano, vt in eum ordinẽ adscriberetur: post aliquot dies in exploranda voluntate Dei positos respõdisse B. Ignatio; Nõ illum à spiritu Sancto vocari ad eum Ordinem: sed ad Dei seruitium pertinere, vt ipsemet aliũ presbyterorum quoque Ordinem actuosiorem instituere t. Verum est B. Ignatium illo anno fuisse Venetijs socios è Gallia præstolantem: quod tres historici nostri tradunt. Probabile item est ab illis Patribus exceptum hospitio per aliquot dies, quia peregrinus atque extraneus erat; præsertim cũ prodatur à Petro Ribadeneira & Nicolao Orlandino consuetudinem habuisse, cum Io: Petro Carafa, tum eiusdem Ordinis, paulò post Cardinale, ac demum summo Pontifice: quod in cœnobio S. Nicolai, vbi degebat, euenisse potuit. De charitate Patrum illorum, qua fuit exceptus nihil dubitatur: nosq; omnes illi cœnobio multum debemus, quod Parentem nostrum in alieno solo peregrinántem, tam benignè, humaniterq; tractauerit. At quod B. Ignatius in illorum familiam admitti petierit, nulla probabilitate subsistit. Prudentibus enim rerum æstimatoribus verisimile

" simile nõ est, hominẽ cordatũ, atq; in su-
" sceptis consilijs constantissimũ, tanta leui-
" tate fluctuasse: deliberationẽq; voto fir-
" matã, tã repente mutata volũtate abiecis-
" se, vt nouẽ socios amãtissimos carissimos-
" que, insalutatos violata fide mutua dese-
Ribad. l. 1. c. 4. Maffei. 1. c. 21. Orland. l. 1. §. 90. reret, quos Parisijs electos tanquam filios
in Christo genuerat, tam diuturno labore
educatos excoluerat, tot spiritualibus ra-
tionibus ac beneficijs sibi deuinxerat, tã
sacrosanctis votis Deo secũ obligauerat,
" atque ad conditam diem Venetijs ad-
" esse iusserat. Præsertim cum multo ante
" hæc tempora diuinitus ipsi B. Ignatio re-
" uelatum fuerit, religiosi cœtus, qui Socie-
" tas Iesu diceretur, eum fore institutorem
" ac ducem: quemadmodum Petrus Riba-
Ribad. in vita comp. §. de dono Prophetiæ. Orland. l. 2. §. 66. & li. 2. §. 25. 62. deneira & Nicolaus Orlandinus firmissi-
mis & coniecturis & rationibus probant.
Nec de probissimorũ sociorũ mutata vo-
lũtate dubitasse potuit, qui tãta incitatio-
ne animi ferebãtur in Italiã: votũ peregri-
nationis Ierosolymitanæ (quod est in
paucis religiosissimum ac difficillimum
" relaxatu) soluturi, vt ad VI. Id. Ianu. 1537.
" hoc est ante præscriptum ex conuentu
" tempus, Venetijs affuerint. Quid, quod eo
" tempore, quo B. Ignatius egisse dicitur cũ
" Caietano, Venetijs aberat Caietanus,
" Neapolim triẽnio ante profectus? Ex hoc
" apparet falsa opinatio, Castaldum esse
" deceptum. Hæc propositio; si quo anno,
" Ignatius Venetijs fuit, Caietanus erat, vel
" Neapoli, vel Romæ, non potuit Ignatius
" agere cum Caietano, quia perspicuum
" quiddam continet, quod constat inter
" omnes, est ex earum numero, quas firma-
Cic. lib. 1. de Inuent. re superuacaneum est, vt docuit M. Tul-
" lius, qui simillimam huic profert in ex-
" emplum: *si, quo die cædes Romæ facta est, ego*
" *Athenis eo die fui, interesse in cæde non potui.* In-
" diget approbationis illa particula propo-
" sitionis. Erat partim Neapoli, partim Ro-
" mæ Caietanus eo toto anno M.D.XXXVII.
" Cuius approbandę causa testem appello
" Antonium Caracciolum ex eodem Cleri-
" corum Regularium Ordine, atq; ad huius
" historiam Castaldum sodalem ablego.

Antonius enim in collectaneis historicis
de vita Io. Petri Carafæ, triumque reli-
quorum sociorum prudenter atque accu-
ratè Latinè editis: in quibus enumerat o-
mnes propemodum passus Caietani, di-
sertè scribit primum Clementis VII. Pa-
pæ iussu Caietanum à Carafa missum esse
Neapolim anno trigesimo tertio supra
sesquimillesimum, cum Ioanne Marino-
ne Veneto socio: Venetijs discessisse po-
stridie Kalen. Augusti: Romæ summis ca-
loribus ex itinere ad pedes Pontificis ac-
cidisse: Neapolim sub finẽ Octobris atti-
gisse, ibique præfuisse cœnobio. Firmatur
Antonij narratio tẽstimonio Ioannis Ba-
ptistę Tufi, ex eodem Ordine Episcopi A-
cerræ, (vt iuxta Saluatoris pronunciatum
Matt 18.16. in ore duorum testium stet hoc verbum)
qui in historia suæ religiosæ familiæ Italicè
scripta conuenit cum Caracciolo in mis-
sione Neapolitana Caietani, in socio Ma-
rinone, in anno profectionis; refertque
ad verbum Clementis Pontificis litteras
XI. Februarij 1533. datas, quibus aliquot
ex eorum numero Neapolim mitti iubet;
deinde narrat Caracciolus à Caietano
depræhensam pernicioſam doctrinam,
quam Bernardinus Occhinus spargebat
in vulgus, cum in æde S. Ioannis Maioris
concionaretur anno trigesimo sexto: &
Octobri mense eiusdem anni Neapoli
Romam ad sui Ordinis comitia profectũ,
quæ nonnisi mense Decembri sunt abso-
luta. Vnde liquidò apparet toto anno
XXXVI. partim Neapoli, partim Romæ
fuisse. Ac ne quis suspicetur ex Romanis
Comitijs Venetias esse regressum sub an-
ni finem, atque eo tempore cum Ignatio
illa tractasse, quæ Castaldus asserit, per-
spicuè Caracciolus tradit Caietanum
Roma Neapolim recta esse reuersum, nec
inde pedem extulisse, nisi anno quadra-
gesimo, quo anno Caietanus Neapolita-
nis comitijs creatus est Venetæ domus
Præpositus, & Ignatius Romæ diu com-
moratus, confirmationem suæ Societatis
à Paulo III. obtinuerat. Confirmatur hæc
Neapolitana continuata commoratio

Anton. Caracc. in collect. de vita Carafæ &c. p. 214. & seq Io. Baptist. Tufus hist. Cler. regul. c. 9.

" Caietani verbis ipsius, qui cum à Petro
" Toletano prorege, potestatem abeundi
" peteret anno trigesimo septimo, quod
" nullum certum, aptumque locum nacti
" essent. Dixit se cum socijs *Iam quatuor to-*
Carac. p. 25. *tos annos Neapoli ter mutatis sedibus mansisse.*
" Atqui hoc quadriennio trigesimus sextus
" annus necessario compræhenditur. Igitur
" si Caietanus anno 1536. Neapoli degit vs-
" que ad Octobrem mensem, & anni reli-
" quum Romæ consumpsit, vnde Neapo-
" lim regressus est; quomodo potuit Vene-
" tijs colloqui cum Ignatio? Hæc manifesta
" temporum discordia, corporumque v-
" triusque distantia, demonstrat totam nar-
" rationem Castaldi corruere. Postremò nõ
" illa potuit esse prædictio de nouo Ordine
" instituendo, quæ Caietano affingitur,
" quoniam Societas nostra, iam multis
" votis astricta Lutetiæ coaluerat; nec aliud
" ad perfectionem desiderabatur, nisi Sedis
" Apostolicæ confirmatio; quæ, vt dixi, non
" longo interuallo impetrata est.

Iam verò vt redeamus in viam, vnde nos deduxit necessitas vindicandi Parentis nostri ab Inconstantiæ, mutabilitatisq; nota, ex errore historicæ veritatis, illi potius, quam animi decreto, vt opinor inusta.

4. R. D. Castaldus lecta confutatione prædicta, existimauit sibi esse respondendum: proinde anno 1617. scripsit epistolam apologeticam ad virum perillustrem Marcum Thienæum Comitem, B. Caietani gentilem, Vincentiæ commorantem. Hic anno sequenti 1618. typis æneis excusam epistolam in eadem vrbe, dicauit Illustrissimo Marchioni Scandiani Octauio Thienæo, ex eadem gente nobilissima. Sero mihi, hoc est post biennium, nota fuit hæc epistola, per litteras iteratas Sodalis mei è regno vsque Poloniæ datas. Tantus zelus tuendi cõmunis omniũ parentis exederat animos Polonorũ. Atque hæc sera Epistolæ notitia, causa fuit tardioris meæ respõsionis. Eandem Epistolam R. D. Andreas Molfesius, ex eodem ordine, quo Castaldus, nonnullis additis, & paucis detractis, in prima parte promptuarij, seu Summæ moralis Theologiæ & casuum conscientiæ, Neapoli anno 1619. excusa, iterum euulgauit. Subijciam Lectoris oculis hanc quoque epistolam apologeticam fideliter, totam quidem; sed, ne bis legenda sit, in tot partes distributam, quot essent meæ responsiones, quas veritatis tuendæ studio, non cupiditate altercandi expromere conor non iniussus. Ac primo loco legatur epistola dedicationis.

And. Molf. p. 1. iure ir. & c. 9. n. 101

§. 1.

Illustrissimo D. D.
OCTAVIO THIENÆO
Marchioni Scandiani

Marcus Thienæus S. D.

" MIttebantur olim amicis dona Sa-
" turnalibus; hospitibus xenia: nunc
" autem Bacchanalibus diebus muneris lo-
" co mittuntur bellorum exempla libello-
" rum ad simulatum certamen pedestre, vel
" equestre cunctos lacessentium. Ad te ve-
" rò Marchio Illustrissime, familiæ nostræ
" columen, ac decus; pro donis, xenijs ac
" libellis M. R. D. Io. Baptistæ Castaldi lit-
" teras do, quibus vir ille natalium splendo-
" re, vitæ innocentia, atque in conscriben-
" da B. Caietani gentilis nostri vita, maxima
" solertia oppido quàm eximius, mihi re-
" scripsit. Incideram enim fortè fortuna in
" Iulij Nigronij librum de regulis commu-
" nibus Societatis Iesu; & cum subciuis
" horis eum legerem, deprehendi hominẽ,
" quandam Castaldi narrationem de Caie-
" tani & Ignatij colloquio falsi arguentem.
" Substiti illico, vt par erat, & Castaldum
" Neapoli tunc morantem de hac re certio-
" rem feci, impensiusque rogaui, rei verita-
" tem mihi per litteras significaret. Rescri-
" psit ille confestim (quæ est in tanto viro
" singularis humanitas) atque vt reor, histo-
" riam illam enodauit prorsus: ipse vero, vt
" typis excusæ dicæ occurrerem, typis excu-
" di quoque apologeticam hanc epistolam
" mandaui: & vt genuinos inuidorum den-
" tes effugeret, nominis tui clypeo, vt tecta
" prodeat curaui: non dubitans quin illa
" sem-

" semper foret incolumis, cui te nobiliſſi-
" mum & præſtantiſſimum patronum hac
" nuncupatione adoptaui. Nigronij quoq;
" ſubargutulam accuſationem calamo exa-
" ratam mitto, vt dum vno intuitu vtraque
" perlegis, ſcribentium quoque mentes, ra-
" tiones, ſtylumque penſitare valeas. Can-
" dorem animorum in vtriſque haud abſi-
" milem fortè comperies. Nihil enim eſt
" Caſtaldo noſtro candidius: & in Nigro-
" nio abſit, vt nigredinis quidquam, & li-
" uoris ineſſe credam. Solutiones ratio-
" num, quas Io: Baptiſta affert, coruſcant v-
" bique veritatis fulgore: Iulij argumenta
" omnia ſimilia vero eſſe videntur. Stylus
" denique Caſtaldi ſubacriter dulcis eſt;
" Nigronij ſubdulce-acer, quaſi (vt Cicero
" apud Nonium ait) illius oratio melle Hy-
" mettio, huius aceto Ægyptio ſit condita.
" Sed quid te pluribus moror? Accipe li-
" bẽs ergo ac bonus gentilis tui munus alie-
" na confectum opera, atque in eo aduerte
" egregiam plaſtæ peritiam, & in corruſ-
" pando veritatem perpetuum ſtudium.
" Perſpice mittentis obſeruantiam atque
" amorem. Tuq; viciſſim cum Illuſtriſſi-
" mo Marchione genitore tuo, eſtote libelli
" huiuſce tutela præſidiumque. Valete. Vin-
" centiæ IX. Kal. Mart. M.DC.XVIII.

§. 1. *Iulij reſponſio.*

6. Debeo multum auctori Epiſtolæ huius, quod in nigredine cognominis mei iocatus, nihil in me crediderit eſſe liuoris; aſſecutus coniectura id, quod verè fuit, & eſſe debuit in homine, qui iam tum quadraginta quinque annos in Ordine religioſo conſumpſerat; & data occaſione, priuatim & publicè profeſſus eſt perpetuo docere populos veritatem. Conabor nunc ſenior factus, vt aliquid candoris ex eodem nigrore meo per calamum effulgeat. Quem non equidem intingam (auertat à me Deus tantum erratum) in acetum Ægyptium; quòd, quia fiebat ex optimo ac generoſiſſimo vino ſiue Phario, ſiue Niliaco, acerrimum & mordaciſſimum habebatur. etſi M. Tullius, vt eſt apud Nonium, per ironiam dulce aceum Ægyptium eſſe pronuntiauit, vt acre mel Hymettium.

Athen. l. 2. c. 25. Iuuen. l. 5. Sat. 13. Turneb. l. 29. aduerſ. c. 20.

Non. Marcel. l. 4. verbo Acre.

Abſtinebo à Luna, vt loquitur S. Iſidorus, quam Græci ὀξύμελι vocant, id eſt acetum melle temperatum. Non enim patiar, quia dulçedinem ſimul retinet & acorem, per ſimulationem dulcedinis è ſtylo aliquid acerbitatis excidere, vnde poſſet beneuolentiæ R. D. Caſtaldi, vt arbitror erga me integræ, ſuauitas acceſcere. Proijciam longiſſimè Galeni γλυκύπικρος, hoc eſt medicamentum ex abſynthio ac melle compoſitum: quòd nolim obijci mihi, quod de ſe ipſe M. Tullius dicebat: *Amariorem me ſenectus facit.* Quonam igitur liquore imbues calamum? Duobus illis, Melle & lacte, qui ſub lingua ſanctæ ſpõſæ latitabant: & priſcis ſæculis, teſte Tertulliano ac S. Hieronymo, in os recens baptizatorũ infundebantur, vt monerentur, opinor, qualis eſſe deberet ſermo Chriſtianorum, dulcis & candidus. Intingam, inquam, ſtylum in mel dulciſſimæ charitatis, & in lac candidiſſimæ ac ſinceriſſimæ veritatis: de quo lacte Apoſtolorum princeps ait: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite.* Quæ duo teſtimonia S. Ambroſius expendens, nos ſanctè monet his verbis: *Os iuſti diſtillat ſapientiam: de ore iuſti ſuauitatis & miſericordiæ mella procedunt. In ore iuſti nullus dolus, nulla fallacia, nulla eſt amaritudo peccati.* & paulò poſt: *Quomodo mel & lac ſub lingua tua, cum dolum lingua tua componat, vt aliud pectore concipias, aliud forenſi ſermone prætendas, vt decipias incautum? Cum tibi Petrus Apoſtolus dicat, vt deponas omnem malitiam, & fucum ſimulationis abijcias dicens: ſicut dudum geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite. Oſtendens enim nobis, quid ſit mel & lac habere ſub lingua, docet, vt non maledicere maledicentibus, ſed benedictionem referre nouerimus: neſciamus odiſſe niſi viam iniquitatis, vt facere quod execramur, reluctandi caueamus affectu.* Hactenus S. Ambroſius. Quem æmulatus eſt Paulinus Epiſcopus Aquileiẽſis: qui confutans

Cic. l. ad Att. ep Cant. 4. 11. Tertull. l. de cor. mil. c. 3. S. Hier. dial. adu. Lucif.

1. Pet. 2.

S. Amb. oct. 13. in Pſ. 118

Paulin. Aquil. l. 1. adu. Felic. Vrgelit.

futans Felicem Vrgelitanum Episcopum non rectè sentientem, ait se epistolam, *charitatis calamo, non contentionis studio* scripsisse. Vtrius autem nostrum rationes sint veræ, an vero similes, vt definitur in epistola, prudens Lector iudicabit.

§. II.

7. DE B. CAIETANI THIENÆI *cum B. Ignatio Loiola consuetudine, deq; huius in clericorum regularium Ordinem propensione*

Epistola.

" QVod enixè postulas, Comes perillu-
" stris, vt tibi exponere velim; vnicuiq;
" tegere ac dissimulare decreueram. Fit e-
" nim sæpius, vt dum veritati nos religiosi
" homines, ac propriæ indemnitati consu-
" lere volumus, sæcularium dicacitati an-
" sam præbeamus. Ea tamen est prudentia
" tua, meusque tibi animus ita perspectus,
" vt eo prætextu denegare, quod petis, neu-
" tiquam possim. Præcipuè cum tibi iure
" deberi videatur, quod in defensionem hi-
" storiæ de gentili tuo Thienæo, parente
" nostro, dicendum est.

Ad §. 2. Iulij responsio.

8. Optandum erat maximè, ne controuersia hæc historica veniret in cognitionem filiorum sæculi huius; quo, quemadmodum prudenter Castaldus notat, eorum offensio & dicacitas vitaretur; qui proni sunt, ne dicam præcipites, ad Religiosorum actiones criminandas. Parcat Deus illi, qui causam huic periculo prior dedit. *Probabiliora sunt*, inquit M. Tullius, *quæ lacessiti dicimus, quàm quæ priores: humanitatis est responsio. Videremur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti.* Addo ipse, magis excusandi sunt, qui prouocantur; quoniam humanum est respondere. Excusant iura facto prouocatos, si peccarint, quia vel non puniũt, vel certè mitius puniũt. etiã belluę prouocatæ, à iure excusantur, si quod intulerint damnum; & ex eo domini à restitutione damni liberantur. At dicit Castaldus: Quod opinabar verum, scripsi. Responderim ego: Quod pro certo habebatur in Ordine meo toto, rescripsi. *Sed, quid possumus facere*, inquit S. Hieronymus scribens ad Ruffinum, *si vnusquisque iuste putat se facere, quod facit?* Caueamus nobis ab opinione, quæ fallax est. Vt enim oculus qui per nebulam aut aquam res inspicit, falso modo metitur, quod grandiores, quàm verè sint, videantur: sic animus, qui per opinionis nubẽ res iudicat, aberrat à veritate. Rursus ille dicturus videtur: Placuit mihi honorare parentem nostrum Caietanum. Subijcio ego: cogebar defendere parentem nostrum Ignatium: ne ab Hæreticis, quibuscum quotidie in Germania, Gallia, Polonia pro defensione Catholicæ Romanæque fidei cominus pugnamus, ad bonorum direptionem, & sanguinis vsque effusionem, tanquam arundo, vento leuitatis agitata, ludibrio haberetur, nosque cum ipso pariter irrideremur. Optime scit D. Castaldus, quãtum parentibus debeamus; Officium est, non beneficium, facere quod debemus. Horum decus & dedecus etiam in filios redundat. Hinc illa Sapientis: *Gloria filiorum patres eorum:* &, *Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, eius confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.* Præterea *Leges omnes, omniaq; iura permittunt defensionem*, ait Paulus iurisconsultus in leges relatus. Porro, *Nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur*, vt habet præclara regula iuris. Itaque iusta carebo reprehensione, in hac parentis nostri, meique defensione, ac dicam confidenter cum Portio Latrone apud Senecam patrem, tempore parum immutato: *Tutus est, qui lege fecit.* Præsertim cum exemplum habeam Sanctorum sapientumque virorum Bernardi & Petri Cluniacensis, qui charitate incolumi suos Ordines Cistercienses & Cluniacensem scriptis apologijs tutati sunt. Intercesserant graues causæ discordiarum: exactiones decimarum è prædijs: mutuæ impudentium accusationes de non seruata regula S. Benedicti: monachorum è monasterijs seduc-

S. Hier. ep. 66. ad Ru

Prou. 17.
Eccl. 3.

L. Scient. §. quicun. Ad leg. quil.
L. nullus reg. iuris

M. Sen. contr. 13.

S. Bern. pol. ad Gu. Abb.
Petr. Cl. l. 3. ep. 1. Bern.

Cic. l. 2. de orat.
l. Gracchus C. ad L. Iul. de adult.
L. 1. §. aries ff. si quadr. paup. fec. d.

ctio-

dionēs: & charitas integra permansit, vt ex multis epistolis vltro citroque datis, mellifluæ charitatis, & mutuæ laudis plenissimis, collegit Cardinalis Baronius: cuius verba in rem nostram referre iuuat: *Etsi inter duos istos magnos viros altercatio aliqua interceßit: cum quisq; ipsorum veritatem tueri se crederet; tamen non tantum charitas læsa non est, sed sicut ignis exagitationibus magis incenditur, ita maioribus contentionibus magis magisq; aucta in flammas semper vehementioris amoris erupit. Positi ambo in exemplum in Ecclesia Dei Religiosis omnibus, de mutua inter se pacis & charitatis vnitate in controuersijs oriri solitis seruanda.* Hactenus optimus Cardinalis. Idem inter D. Castaldum & me spero prorsus euenturum.

Card. Bar. tom. 2. 12. an. 1138. n. 45.

§. III. R. D. CASTALDVS.

"9. TRadideram paucis in vita B. Caietani Thienæi fundatoris nostri, "quam Italico sermone, vt optimè nosti, "non multis abhinc annis descripsi, B. Ignatium Loiolam Religiosorum Soc. Iesu "institutorem, dum Venetijs moraretur, "cum B. Caietano consuetudinem habuisse, & ab eodem in Christi militem sub "nostri Ordinis vexillo adscribi postulasse: "ac demum post aliquot dies, in quibus "orationi hinc inde vacatum est, illi à Thienæo hanc militiam interdictam fuisse, "quòd is, Deo haud dubiè inspirante, accepisset Ignatium nouæ prolis actuosioris "parentem futurum esse felicissimum. Accidit autem, quod retuli, anno 1536. cum "socios è Gallia præstolaretur Ignatius, & "Hierosolymitanam peregrinationem voto susceptam simul cum alijs, aggredi pararet.

Ad §. 3. Iulij responsio.

10. Antequam respondere ad singula epistolæ dicta incipiam, illud à D. Castaldo eiusque Sodalibus omnibus religiosissimis viris intelligi cupio vehementer, de prædictione B. Caietani controuersa, hūc esse meum meique Ordinis, vt equidem reor, vniuersi sensum. Primum quidem non esse abbreuiatam manum Domini, vt non potuerit illi viro spectatæ virtutis, & eximiæ sanctitatis, eiusmodi reuelationē à Deo fieri, qua accepta integrum illi esset, alijs futura prædicere. Deinde verò nobis omnibus gratum iucundumque fuisset, vt eam nobis verā esse constaret. Nam ex illa perciperemus eandem vtilitatem, ac voluptatem, quam ex alijs prędictionibus cepimus. Neque ego in ascetico commē- *Iul. Nigr. com Ascet. par. 3. tit. 2.* tario, recensens alias quasdam prædictiones, hanc prætermisi, quod fieri non potuisse opinarer, sed quod nec verisimiliter mihi multisq; alijs prudentibus viris comprobata esse, nec cum B. Ignatij Patris nostri constantia congruere videretur. Verum vt ad rem institutam propius accedamus, in hoc Castaldi Breuiario, quo narrationem capitis tertij vitæ contrahit, vnum prætermittit magni momenti: alterum refert luculentius, quàm tunc scripserat. Duo continebat B. Caietani ad B. Ignatium responsio. Primùm erat, eum à Spiritu sancto non vocari ad Ordinem Theatinorum Patrum: & hoc omittitur in hac compendiaria repetitione narrationis. Alterum erat, seruitium Dei fuisse futurum, vt ipse fundaret aliam presbyterorum Religionem actuosiorem. Verum in hac epistola scriptum legimus, *Illi à Thienæo hanc militiam interdictam fuisse, quòd is, Deo haud dubiè inspirante, accepisset Ignatium nouæ prolis actuosioris parentem futurum esse felicissimum.* ex vtroque capite non leuis mihi emergit difficultas.

11. Quod attinet ad primum: Cum in prima scriptione mea, quæ in asceticis est, intentum habeam animum ad probandā Caietani commorationem perpetuam Neapoli, quæ colloquium cum Ignatio penitus tollebat; non expendi alia quædam, vnde vel in Ignatium aliquid dedecoris redundabat, vel narratio parum cū veritate cohærebat: quæ hoc loco diligentius examinanda sunt, vt appareat me non Castaldo contradicendi, sed Ignatio parenti patrocinandi studio in hanc arenam descendisse. Huius generis illud est, Ignatium *à spiritu Sancto nō vocari ad illam Religionem.* ex D. Castaldo, si coram ageremus, percontarer, à quo spiritu impulsus fuit Ignatius, ad petendum Ordinem vestrum,

si non à Sãcto? Qui de varietate ac discretione spirituum differunt Magistri spirituales, S. Bernardus, Ricardus Victorinus, Henricus de Vrimaria, Seraphinus Firmanus & alij, quos refert & excussit Bernardinus Rosignolius noster, & post eum Franciscus Soarez de eadẽ agens, & copiosius Iacobus Aluarus de Paz, obseruant varios spiritus, seu instinctus, quibus anima in bonis eligendis moueri, trahi, impelli potest: diuinum, angelicum, diabolicum, mundanum, humanum. Angelicus ad diuinum reuocatur; quoniam Angeli sunt administratorij Spiritus, qui ad Dei nutum obediunt ei, nec quemquã mouent ad aliquid agendum sine Domini iussu. Reducitur ad Diabolicum mundanus: quia mundus illi seruit ad voluntatem. De tribus ergo spiritibus potest esse quæstio, diuino, diabolico, humano, à quonam horum trium fuerit instinctus Ignatius. Diuinum spiritum excludit Castaldus dicens, non fuisse vocatum à Spiritu sancto, qui est diuinus. Restant duo, diabolicus & humanus. Potuit à diabolico impelli, quamuis Ordo ille Sanctissimus esset. Nam in confesso est apud sanctos Patres, ac magistros spirituales, interdum dæmonem homines studiosos perfectionis decipere specie recti, proinde suadere, vt aliquid boni operis aggrediantur, vel vt meliora, & optima, quæ meditabantur, deserant; vel vt ex eo tamquam ex alto, ruant præcipites grauiore lapsu: vel vt ad alia opera bona reddantur impotentes & infirmi. Nolo in re tam clara probationes accumulare: legatur Richardus Victorinus in expositione Canticorum. & in casu nostro Nauarrus in specie obseruauerat quosdam aliquando à spiritu maligno incitari ad transeundum in strictiores Religiones, ex cap. licet de regularibus. Quod etiam docuit Hadrianus Hadr. l. de diuin. inspirationibus. Si concedatur impulsum Ignatium à spiritu diabolico, non leuis iniura fit illi, quòd ætate prouectus ad quadragesimum sextum annum, Theologiæ peritus, quindecim integros annos in rebus spiritualibus exercitatus, professus in alijs eruditionis spirituale magisterium, non expers diuinarum reuelationum, & illustrationum mentis, expertus ipse dæmonum insidias ac fraudes, non agnouerit hunc hostis versutissimi dolum, has fallacias, hasque præstigias, quibus esset ab optimis susceptis consilijs auocandus, & tandem in pristinam liberiorem vitam, quam mutauerat, deturbandus. Non enim ab hoste adeo callido, & furioso erat aliud expectandum, si decepisset Ignatium. Neque minus iniuriosa res ea fuisset Ordini sancto Theatinorum, si detur, dæmonem vsum hac fraude, hoc est ad decipiendum & euertendum Ignatium, suggessisse illi cupiditatem arripiendæ nouæ vitæ, impulisse ad petendam adscriptionem in eam Religionem. Ordinis enim sanctitas, instrumentum ruinæ fuisset Ignatio, si hostis, qui nonnisi ruinam proborum spectat, quod tentabat, perfeciisset. Verum non arbitror id quemquam concessurum, vnde tanta sequeretur absurditas. Restat Humanus Spiritus, quo non desunt inter Christianos, qui ad religiosos Ordines impellantur: cuiusmodi sunt, qui perturbatione aliqua ducuntur, vt est desperatio rerum secundarum huius mundi; spes vitę quietioris; timor imminentis periculi; tædium laborum ac difficultatum in rebus necessarijs vitæ comparandis, atque his similes affectus. Cum igitur B. Ignatius nec à diuino Spiritu vocatus, nec à diabolico impulsus sit ad optandum illum Ordinem, necessaria consecutione fit, vt humano spiritu fuerit stimulatus. Qui spiritus humanus, vt ex doctrina Castaldi colligitur, in B. Ignatio duplex esse potuit: alter leuitas & incõstantia, de qua erit pręcipua disputatio: alter verò metus difficultatum obiectarum in constituenda, formanda, parturiendaque, vt ita dicam, Societate, quam mente & cogitatione conceperat. Atque hoc satis clarè significatur in hac epistola inferius, vt suo loco dicetur. Videat Castaldus quam honorifica sit Ignatio, qui iam Beatus est ab Ecclesia declaratus, in cuius honorem Missæ sacrifi-

Bern. Rosign. l. 3. de discipl. & c. 13. & seq. Fr. Soar. t. 1. de Grat. prolog. 3. c. 5. n. 41. & seq. Iac. Alu. t. 3. de vita spir. l. 5. p. 4.

Ric. Victor. in cant. c. 28.

Infra §. 19. n. 73.

sacrificiuſſi offertur Deo certis quibuſdam locis & temporibus: cuius ordo quaqua verſus diſtributus per vniuerſum orbem, cum hoſtibus Chriſtianę Religionis, Catholicæ fidei, ſedis Apoſtolicæ Romanæ decertat, quamque decora & plena dignitatis ſit illa nouæ Religionis petitio Spiritu ſancto non vocante, ſed humano impellente.

12. Quod pertinet ad ſecundam partem reſponſi à Beato Caietano, redditi Beato Ignatio, dixi plura in hoc compendio referri, quam in vita ſcripta legantur, quod eſt magni ponderis. Ibi enim hæc Italice habentur: *Ma che ſeruigio di Dio ſarebbe ſtato, che egli ne fondaſſe vn' altra pur di preti, ma piu attiua &c.* Quæ latinè ad verbum verſantur in hunc modum: *ſed quod ſeruitium Dei futurum fuiſſet, quod ipſe fundaret aliam pariter presbyterorum, ſed magis actiuam.* Equidem tum, cum primum de hac re ſcripſi, putaui prædictionem exiſtimari à Caſtaldo: proinde nolui prædictionibus alijs adnumerare, ob cauſas ſæpè repetitas. Verum non defuit in Ordine meo, qui ſenſerit ex illis Caſtaldi verbis nõ colligi ab eo tradi reſponſionem hanc, vt prædictionem, ſed vt conſilium patris ſpiritualis ac prudentis viri: qui obſeruata dexteritate Ignatij rebus in agendis; cognito zelo iuuandarum & conuertendarum animarum; intellecta Sociorum, partim Clericorum, partim Preſbyterorum, qui expectabantur, manu præparata; perueſtigato fine, quem ille ſibi præſtituerat, hortatus eſt hominem, vt deſtinata exequeretur, præuidens oculo prudentiæ vtilem Eccleſiæ futuram hanc Religionem, quam ex fine & miniſterijs cognitis inferebat fore eſſe actuoſiorem. Viſum id mihi probabile, ſi probetur hos geminos beatos inter ſe Venetijs collocutos. Præſertim cum nullum ibi ſit perſpicuum de diuina reuelatione verbum, vnde prædictio manare potuerit. Etſi enim Caietanus dicit capturos ſe illam deliberationem, quæ à Domino fuiſſet demonſtrata: tamen in reſponſione reddita non dicitur, quod ea ſit accepta diuinitus. Itaque tacitè me ipſe coarguebam, quod tam procliuis fuiſſem in eam verborum Caſtaldi interpretationem, vt putarem illis prædictionem cõtineri: dicebamque, ſatis ſuperque patrocinio B. Ignatij parentis affuiſſem, ſi conſtantiam, ceteris prætermiſſis, defendiſſem. Verum ad hanc particulam epiſtolæ mentem aduertens, video nunc per addita verba, clarè, dilucideque à Caſtaldo exiſtimari & aſſeri fuiſſe prædictionem præuia inſpiratione diuina, cum ait: *Quòd is Deo haud dubiè inſpirante accepiſſet, Ignatium nouæ prolis actuoſioris parentem futurum felicißimum.* Quamobrem ego quoque cogor inuitus priorem reuocare ſententiam, & exigere ad normam rationes huius de integro aſſertæ prædictionis, eandem tundens incudem.

Caſtald. c. 3. vitæ B. Caiet.

§. IV. DOM. CASTALDVS.

13. SED quod inter Ieſuitarum & noſtrum Ordinem debuerat eſſe firmandæ charitatis argumentum, Iulio Nigronio Genuenſi Societatis Ieſu facta eſt contradicendi occaſio.

Ad §. 4. Iulij reſponſio.

14. Narratio illa, quæ in diſceptationem venit, non potuit eſſe *firmandæ charitatis argumentum*, vt loquitur Caſtaldus, inter duos Ordines noſtros, quoniam in Sanctiſſimi parentis Societatis dehoneſtamentum redundabat, vt iam probare cœpi, & in decurſu reſponſionis demonſtrabitur. Atque id non iudicio meo vnius tantum, ſed etiam multorum grauiſſimorum Patrum, tum qui Ordinem meum, cum vita Beati Caietani prodijt in publicum, regebant: tum qui propter rerum gerendarum domi foriſque prudentiam, & ſcientiam gubernandi regere poterant: inter quos numeratus eſt Illuſtriſſimus D. Robertus Bellarminus

Supr. §. 3. n. 11.

Cardinalis: vt ab aurito teste fide digno accepi, tũ qui Societatis archiuum, & omnia nostræ antiquitatis monumenta diligenter euoluerant: quorum omnium auribus atque animis narratio illa insolens accidit, atque à veritate alieniſſima; & visa est omnino confutanda. *Probabilia autem sunt*, inquit Aristoteles, *quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maxime familiaribus & probatis.* Nec defuerunt Castaldi Sodales viri probi ac prudentes, qui de veritate diu multumque dubitantem ab ea scriptione dissuaserint, & posteaquam vnius tantum Sodalis auctoritate impulsus fuit ad eam rem scribendam, ægerrimè tulerint ab eo, per illius historiæ narrationem, quæ solius historici assertione probata est, non paucorum animos irritatos, & disputandi occasionem excitatam. Præsertim cum obseruatum sit, in libris à meis Sodalibus in lucem datis, qui non sunt pauci, neque suum ipsorum Ordinem, neque Sodales vllos ab ijs, ne verbulo quidem, fuisse prę-strictos, vnde per nostros pax inter vtrũq; Ordinem turbari, charitas minui, quisquam nominatim offendi possit. Adde B. Caietanum lætatum, vt ipsimet obseruarunt à Petro Antonio Spinello nostræ Societatis. Vtrum autem nobis omnes rependerint vicem, postea viderimus.

Ar. l. 1. Topic. c. 1.

Petr. Ant. Spin. l. de Mariadeip. c. 40. §. 11.

15. Ego vnus extiti, qui prouocatus & coactus Castaldi narrationem oppugnaui, non Ordinem; atque id, non contradicendi volũtate, sed iustæ defensionis iure, vt dixi. Neq; enim contradicendi libido in eo notari potest, quem iussa Maiorum, Sodalium acris cohortatio, ius defensionis ad scribendum adegerunt; hominem, qui B. Caietanum veneratur, Ordinem ab illo institutum semper magni æstimauit, sincerè dilexit, & non modo data, sed etiam accepta occasione, ingenua voce styloque laudauit; nec eas laudes post exortam hanc historicam controuersiam, è suis operibus, quamuis ex facili fieri potuisset, obliteranit. Testis est Clerus ac populus Mediolanensis, qui in B. Caroli Cardinalis laudatione anno 1602. hæc ex ore meo Italicè audijt; quæ post euulgata chalcotypis, sæpius recusa sunt: *A B. Carolo Religio virtuosißimorum ac deuotißimorum Clericorum regularium qui vulgo Theatini dicuntur, ad S. Calimerum collocata est, vnde postea ad S. Antonium transierunt.* Testis meus commentarius asceticus in regulas communes Soc. vbi passim legitur Religionis huius honorifica mentio, prudentiæ laus, & commendatio probitatis. Inspiciatur explicatio tituli vbi de nomenclatione Theatinorum hæc scripsi. *Quæ appellatio vulgaris illis cessit in gloriam: eo quòd hæc vox à Græca deducta videtur: siue* θεὸς, *qua Deus signatur: siue* θεατὴς, *qua contemplator: proinde dici videntur quasi diuini, seu contemplatores. Nec aliena est vtraque à primis eorum Sanctis cogitationibus & verbis, quibus contemplantes cælestia, diuinum amorem commendabant.* Testis tractatus asceticus de cura minimorum necessaria religiosæ perfectioni, qui nunc sub prælo est, in quo cum laude non exigua virtutum idem ordo commemoratur. Quàm verò bene affectus essem erga virtutes B. Caietani etiam antequam nossem Beatum vocitari, colliget ex ijsdem ascetics meis, quicumque obseruauerit exempla virtutum à me producta, vt meos socios ad perfectionem incitarem: quod speciatim videre licet, vbi cum laude refero, quòd Neapolim profecturus, solicium non ad arbitrium suum, sed à Superiore designatum acceperit. Itaque beneuolentia, quæ est filia Charitatis, residens in pectore meo, existimanda non est contradicendi studium adamasse. Neque verò id, quod Castaldo ex necessitate defensionis respondetur, in Ordinem ipsius vniuersum iactatum putetur. Non enim video narratiunculam illam, quam reprobo, nomine publico totius Ordinis prodijsse: cum neq; à Reuerendissimo D. Io. Baptista Tuso Acerrarum Episcopo in historia vniuersali Religionis tradatur; neque ab vllo alio scriptore mentio, ac ne vmbra quidem eius appareat: immò, vt paulò ante scriptum est, non omnibus in eo Ordine placeat. Deinde quia S. Bernardus vetat particularem vnius, aut paucorum

Iul. Nigr. in B. Caroli laud. pag. 50

Id. in par. 1. tit. n. 58.

Id. comm. reg. 43. com. n. 9.

Supra n. 14

Supra n. 7. & 9. 2. n. 8.

corum culpam, siue errorem fieri communem, atque vniuersæ Religioni generaliter adscribi. *Non aduersum ordinem*, inquit, *sed pro ordine disputare putandus ero, cum non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo. & quidem diligentibus Ordinem in hac re molestum me fore non timeo, quinimo gratum proculdubio accepturi sunt, si persequimur, quod & ipsi oderunt. Si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cuius vtique corruptionem, id est vitia, damnari nolũt. Ipsis itaq; Gregorianum respondeo: Melius est, vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.* Hactenus Bernard. Ego pro vitijs ab eo damnatis; lapsum, aut errorem historiæ dixerim.

S. Ber. apol. ad Guil. Abb.

§. V. D. CASTALDVS.

« 16. Hic enim temporum rationes, lo-
« corumq; distantias obliqua, vt
« aiunt, regula metitus, infirmis licet narra-
« tionibus, narrationis nostræ fidem infrin-
« gere conatur.

Ad §. 5. Iulij responsio.

17. Miror vehementer auctorem epistolæ, quòd scribat me obliqua regula metitum esse temporum rationes, locorumq; distantias: cum ipse illico admittat pro veris omnia, quæcumque dixeram ex auctoritate scriptorum ipsius Ordinis, de tempore discessus, commorationis, itus, reditus B. Caietani: ac solummodo pro Achillæa causæ suæ totius defensione pronuntiet sine vlla probatione, Caietanum Neapoli Venetias excurrere potuisse, quo tempore B. Ignatius ibidem hærebat. Hoc postmodum non obliqua regula, quam merito damnat Castaldus; non regula Lesbia, quæ, quia plumbea, flectebatur rebus distortis admota, vt tradit Aristoteles, metiar; sed adhibebo regulam firmam, solidam, quæ flexuram non capiat, atque vt ita dicam, sanctuarij; hoc est regulam sanctæ ac religiosæ veritatis, quam non modo suasu Platonis omnibus mortalibus anteponam; & hortatu Aristotelis (qui magister veritatis est appellatus) cunctis hominibus opponam; sed etiam, quod pluris facio, monitu Salomonis, qui ait: *Labium veritatis firmum erit in perpetuum*, omnibus dictis meis admouebo. Atque vt hoc, quod cupio, consequar, rogabo Deum cum Dauid patre Salomonis, his verbis: *& ne auferas de ore meo*, (neq; de calamo) *verbum veritatis vsquequaq;*. Lectori præterea testificor, quod S. Bernardo B. Petrus Cluniacensis: *& si à communi mendacio, quo omnis homo mendax est, immunis esse non possum: absit tamen, vt ibi non caueam mendacium, vbi cauere possum.*

Infrà §. 6. n. 18.

Aristl. li. 5. Ethic. c. 10.

Plato li. 10 de rep & in Phædone. Arist. li 1. Eth. c. 6. Phi de æternund. adu. Proclum. Prou. 12. 19.

Psa. 118. 43.

Petr. Cla. l. 1. ep. 29. ad Bern.

§. VI. D. CASTALDVS.

18. NOn potuit, inquit, cum parente » nostro Ignatius agere, cùm toto » anno 1536. Venetijs Caietanus abfuerit, » partim Neapoli, partim Romę distractus. » Hoc enim tempore Bernardinum Ochi- » num in æde S. Ioannis Maioris Neapoli » concionantem hæreticum esse deprehen- » dit: postmodum sub finem Octobris mẽ- » sis Romam proficiscitur ad generalia co- » mitia celebranda, quibus mense Decem- » bri consignatis, Neapolim rectà reuerti- » tur. Accedit Beatum nostrum Petro To- » letano Proregi, cùm penitus Neapoli cũ » tota familia abire, & Venetias reuerti de- » cerneret, dixisse quatuor integros annos » se cum socijs in ea ciuitate mansisse, vt fir- » mam aliquam fidem nanciscerentur. Tri- » gesimum sextum annum, inter quatuor » hosce Neapolitanę mansionis annos, quis » non supputauerit, cùm trigesimo tertio » anno VI. Non. Aug. Clemente VII. sum- » mo Pontif. iubente, & Oppidano Comi- » te expostulante, Neapolim Nostri primò » appulerint, & trigesimo septimo à Tole- » tano Prorege liberè discedendi petierit » facultatem? Fieri igitur non potuit, vt lo- » co & corpore dissitus cum Caietano, eo » tempore egerit Ignatius. Hæc Nigronius » ex nostræ historiæ penu deprompsit, te- » steſque veritatis Antonium Caracciolum » in vita Thienæi, & Io. Baptistam Tufum, » Acerrarum antistitem in chronicis nostri » Ordinis appellat. »

Ad §. 6. Iulij responsio.

19. Hic non est quod aliud dicam, nisi apparere perspicuè legentibus, in rationibus temporum & locorum supputandis, me

ne latum quidem vnguem à recta veritatis regula deflexisse : quod iterum paulo post Castaldus confirmat , vbi ait se non negare,immo subscribere meis pronuntiatis de huiusmodi rebus.

Infra §.8. n.23.

§. VII. D.CASTALDVS.

" 20. SEd eorum quoque auctoritate,qui " Ignatij historiam conscripsere,hęc " addit:Ignatius cordatus vir , & in suscep- " tis consilijs constantissimus; non ergò tã- " ta leuitate fluctuauit , vt voluerit socios " mutua fide,votis,beneuolentia , benefi- " cijs adstrictos,secum Deo dicatos, insalu- " tato,vt aiunt hospite,deserere. Præsertim " cum de nouem insignium virorum,quos " sibi in socios delegerat,mutata voluntate " dubitare non posset : quippe qui votum " Hierosolymitanæ peregrinationis solutu- " ri in Italiam mense Ianuario anni 1537. " venire cogebantur.Præterquam quod Ig- " natio ante hæc tempora reuelatum fue- " rat,ipsum fore institutorem religiosæ fa- " miliæ , quæ Societas Iesu appellaretur. " Iamque hæc multis votis adstricta Lute- " tiæ coaluerat , nec ad illius perfectionem " aliud desiderabatur,nisi Apostolicæ sedis " confirmatio , quam anno 1540. à Paulo " III.summo Pont.obtinuit. Igitur nec Ig- " natius,diuinę voluntatis particeps factus, " poterat nostri Ordinis institutum ample- " cti;neque Caietanus nouam Religionem " ab Ignatio condendam præuidere.

Ad §. 7. Iulij responsio.

21. Hęc est synopsis meæ confutationis: in qua tria notari cupio. Primum,non equidem intuli B. Ignatium, non potuisse Ordinem Theatinorum amplecti , sed non popposciisse adscriptionem in illum: nec deduxi non potuisse à B. Caietano præuideri nouam religionem futuram ; sed positis illis circumstantijs prudentiæ constantiæque Ignatij , sociorum electorum , votorum , temporis & aliarum rerum , prædictionem extitisse ,in illa Caietani responsione pernegaui. Hæc enim multum inter se differunt in hac controuersia , in qua non exigo nisi quæ verissima censeantur.Alterum est, non inconsiderate B. Ignatium à me cordatum nuncupatum : quod in hac disputatione referret plurimum statuere illum esse virum prudentem , sapientiæ plenum , & magni animi,quæ omnia vox illa exhibet, vt periti sciunt. Talem autem fuisse tradunt non modo nostri scriptores,qui possunt in laudibus communis parentis esse suspecti,sed etiam qui nostri Ordinis non sunt.Dieghus Payua Andradius Theologus Lusitanus appellat, *Prudentia singulari, infractaque fortitudine illustrem:cuius egregiam prudentiam , cum admirabili sanctitate coniunctam Ioannes Cardinalis Moronus suspiciebat.* Rutilio Benzono Episcopo Lauretano est,*vir summa, tum diuina tum humana, sapientia praditus.* Ludouico Granatensi Ordinis Prædicatorum;*Nouum speculum virtutis & prudentiæ.*

Dieg. Payu. l 1. orthod. explic.

Rutil. Benz. l. 6. & Iobil. c. 1.

Lud. Gran. ep. 1. ad Pet. Ribad.

22. Tertium obseruandum Lectori erat, in asceticis à me vnam tantum rationem explicatam fuisse, quæ petitionem B. Patris Ignatij reddebat incredibilem. Hæc est nimirum B.Caietani perpetua illo anno Neapoli commoratio : quam confirmant in articulis, in causa canonizationis exhibendis, per illa verba : *Cum B. Caietanus Neapolim peruenisset , statim cultui & animarum saluti incubuit:& vt melius posset virtutum exercitio Altissimo famulari,in ciuitate pradicta Monasterium fundauit , ibique reliquum vita sanctissimè transegit.* Eo peruenerat anno 1533. Hæc paulò post per occasionẽ & retractabitur sæpe & corroborabitur, quoniam teste L.Seneca,*Magis veritas elucet,quo sapius ad manum venit.* &Innoc.Papa: *Veritas sapius exagitata, magis splendescit in luce.* Alias rationes ex parte B.Ignatij & aliorum cursim & strictim innui potius, quàm dixi,paucissimisque verbis tamquã seminibus inclusi,quas in hac dissertatione vberiore oratione in spicas explicabo. Placet hoc loco sexdecim rationes numerare,atque in conspectu legentium ponere,suis quasq; locis copiosius enucleãdas, (præter vnam,quæ iam in §. 3. expedita est) quibus demonstrabitur, nullo modo probabile , aut possibile , aut verisimile fuisse,quod Ignatius expeteret ac peteret illam Religionem.Duæ petuntur ex ipso B.Caie-

L. Sen. l. 2. de ira, c. 17. 35. 9. 9. Gran.

Supra §. 3. n. 11.

B. Caietano. Prima est, quod is nec Venetijs habitabat, quo tempore B. Ignatius ibidem morabatur; nec tempus reperitur, quo illuc potuerit verisimiliter excurrere & colloqui cum Ignatio. Secunda: Non pertinebat ad B. Caietanum cura in Ordinem recipiendi: quia nec Venetæ domus præpositus erat, nec totum Ordinem per id tempus regebat; proinde verisimile non est ad eum pro adscriptione & habitu B. Ignatium accessisse. Tres ducuntur ex ipsa Clericorum Regularium Religione, in eo quo tunc erat gradu constituta. Nam eius institutum erat multis capitibus diuersum à cogitatis, ac destinatis Ignatij, finique ipsius planè contrarium. Deinde posita simultate aliqua cum B. Petro Carafa, nec Ignatius petiturus videbatur, nec ille admissurus. Tertiò Religio illa in viridi erat obseruantia, & primæuo feruore spiritus: Ignatius vero si Religionem aliquam inire instituisset, (quam tamen non intrare statuerat) minus obseruantem elegisset, vt plus pati, & plus benè mereri in reformatione potuisset. Aliæ duæ rationes existũt ex nulla verisimilitudine narrationis D. Castaldi in responso B. Caietani. Primum enim dictum illud, Ignatium à Spiritu Sancto nõ vocari, ducit nos in absurda, & ab honore B. Ignatij admodum aliena, vt probatum est. Alterum, quod in hac Epistola est adiectum, cogitasse Ignatium de socijs secum in eandem Religionem adducendis, tam improbabile est, quàm quod maximè. Duæ pariter oriuntur ex ipsa Societate Ignatij. Primum quidem, quoniam iam coaluerat multis votis astricta. Deinde vero, quia nulla prorsus mentio fuit vnquam in Societate nostra, nullus rumor, nulla suspicio huiusce rei, neque in monumentis, neque in sodalium seniorum memoria. Sex rationes eliciuntur ex B. Ignatio. Prima; quia tum maximè, quærebat comparabatque sibi suæq; familiæ socios, cum Castaldus vult eum de alia familia cogitare. Secunda, quia vir erat constantissimus in decretis tot annis ante stabilitis. Tertia: quoniã nominatim spiritualibus exercitijs erat addictus summa propensione animi ac diuturna, quæ quia magisterium requirũt, merito existimat Franciscus Sacchinus noster in respõsione ad Castaldum, B. Ignatium ex ipso capite non fuisse aliam Religionem ingressurum, ne fieri discipulus ex magistro, & deserere cogeretur illud armorum genus, quod ad animas Deo subdendas expertus erat esse firmissimum. Quarta ratio: Habuit reuelationes à Deo de condenda Societate: proinde nec dubitabat quin futurum esset, nec quidquam facere debebat, quod huic rei aduersaretur; cuiusmodi fuisset in aliam Religionem adscriptio. Quinta: non putabat Ordinem Patrum Theatinorum perseueraturum, nisi mutauisset institutum, & plus iuuandis proximis se dedisset. Sexta: Venetijs fuit grauissimis calumnijs impetitus: iudicium institutum eo postulante: sero nimis lata est sententia innocentiam declarans. Hoc toto tempore iudicij pendentis, nec ipse prudens adscriptionem petijsset, metuens iustam repulsam: nec si poposcisset habitum, à Patribus obtinuisset, qui hominem hæresis, quamquam falsò, insimulatum, religiosa prudentia vetante, meritò repudiassent. Postrema ratio ducitur ex ipsa reuelatione: quæ sine dubio à Caietano communicari debuit cũ socijs, ac potissimum cum Carafa primario mẽbro, immo capite, fundatoreq; Ordinis, vt ipsi fatentur; & eò magis, si regebat tunc Ordinẽ. Debuit aũt cõmunicari, quia Caietanus non erat superior, & debebat, quia humilis & religiosus, reddere rationẽ Superiori negotij tractati cum viro Hispano grandi natu, & hospite. Præsertim cum tẽ omnium precibus cõmendasset. Itaq; illa reuelatio & repulsa Ignatio data vulgari debuit per cœnobiũ inter primarios saltẽ Patres. Ceterũ mirum est nullũ odorẽ ad posteros peruenisse. Adde q̃ Carafa non abalienasset animũ ab Ignatio, neq; ab eiusdem Religione: sed potius reuelatione cognita, dilexisset singulariter hominem, & iuuisset ad condendum Ordinẽ à Deo prędestinatũ, & religiosus, & Cardinalis, & Pontifex. Sed quia nullam huius reuelationis notitiam habuit, simultates cum eo exer-

Supra §. 3. nu. 11.

Infra §. 23.

exercuit, eius actiones nõ probabat. Notitiam verò nullam habuit, quia non extitit, vt probatum est. Quis credat Carafæ, rem tanti momenti, si vera fuisset, latere potuisse? Scio has sexdecim rationes, non esse omnes demonstrationes, vt Philosophi loquuntur, quæ in huiusce modi materia coniecturali non possunt haberi: sed tantum simul iunctæ ponderis habent, vt asserant ac vindicent B. Ignatium à suspicione tantæ leuitatis, atque obruant contrarias cõiecturas. Valet hic grauissimum Quintiliani de argumentis dictum: *Si non possunt valere, quia magna non sunt; valebunt, quia multa sunt, quæ ad eiusdem rei probationem omnia spectant*. Consonat vulgatum ab Ouidio prouerbium, congruens cum doctrina Modestini iurisconsulti in iure ciuili:

L. Spadonẽ, §. qui iura, de excus. tutor. Oui li. 2. de rem. amor.

Quod si non prosunt singula, multa iuuant.

§. VIII. D. CASTALDVS.

« 23. VT autem totam hanc Nigronij « argumentationem facili manu « corruere videas, non te pigeat, Vir opti- « me, quæ tradam animo voluere, exacteq; « pensitare; & an singula singulis respon- « ant, reputare. Principio igitur probãdum « est, potuisse cum B. Caietano Ignatium « Venetijs colloqui. Quod sic probatum « accipe. Verum est anno 1533. Venetijs sũ- « mis caloribus discessisse Caietanum, vt « Neapolitanam domum fundaret. Non « nego anno 1536. mense Octo. ad genera- « lia comitia celebrãda Romam fuisse pro- « fectum, indeque Neapolim rectè venisse « ante Decembris finem. Subscribo narra- « tioni de Ochino Caietani industria de- « prehenso. At quid inde? Menses decem ab « anni 36. initio, vsque ad extremos Octo- « bris dies excurrũt, in quibus, cum Carac- « ciolo & Tufo testibus, nihil egerit Nea- « poli Caietanus, potuit Venetijs consue- « tudinem cum Ignatio habere.

Ad §. 8. Iulij responsio.

24. Cardo, in quo tota vis defensionis vertitur, est hic: Collocutus est Ignatius cum Caietano Venetijs: quia Caietanus Neapoli Venetias in decem mensium intercapedine potuit excurrisse. Reuellitur hic cardo duobus modis. Primus producitur à Francisco Sacchino sodali meo iã memorato, qui tabellarium Societatis, tum in recognoscenda prima parte historiæ Societatis à Nicolao Orlandino elucubrata, tum in prosequenda eadem historia, quæ iam per partes exit in lucem, euoluit susq; deque, & nunc in sua potestate habet, cum sit Præposito Generali, atque vniuersæ Societati à secretis. Hic infirmat hanc argumentationem Caietani tam validè, quàm iudicio, cognitione antiquitatis nostræ, atque eloquentia valet. Do verba: *Hoc etsi aliquid est, tamen parum est, vbi pro certa narratur historia. Minimè enim tollit, quin tota narratio nisi ruat, saltem nutet, vt instabili nixa fundamento. Nam sicut fieri potest, vt iret, ita vt non iret. Quin etiam de commoratione Neapolitana constat, de Veneta excursione non constat: sola coniectura ducitur ex hoc facto, quod est in quæstione: quod est alioquin tale, vt ex eo ipsa profectio negari probabilius, quàm affirmari queat*. & alia quædam addit in eandem sententiam, non minus apta & probabilia. Verùm quoniam ille studuit in ea disputatione breuitati, cõferam huc aliquid de meo. Ac primum corroboro Francisci dictum, posse facilius ac verisimilius excursionem Venetam negari, quã affirmari, ex eo quod ad eam probandam Castaldus nullam affert probationem, nisi coniecturam, atq; opinationem suam, & potentiam physicam. Cæterùm facta non præsumuntur nisi probentur, vt ex iure ciuili probat Iason. Non produxit Castaldus, ne in hac quidem secunda scriptione, aut traditionem seniorum, aut scripturam, vbi aliquis odor huius profectionis, & colloquij sentiatur. Rerum enim antiquarum, & ante nos natos gestarum memoria, per hũc duplicem ductum ad posteros deriuatur: quod in Ecclesia quoq; Catholica vsu venire tradunt Concilia, Patres, & recentium hæresum oppugnatores, atque in primis Robertus Car. Bellarminus in primo certamine controuersiarum. Quo fit, vt si posthac afferret aliquid, non ei fides haberetur, quod vide-

Fran. Sacch. in resp. ad Caiet.

Iaſ. in L. ſi mancip. n. 1. ff. de collat.

Card Bell. l. 1. contr.

deretur nostra monitione excitatus illud excogitasse potius, quàm in Archiuis inuenisse. Nos contra, negationis nostræ firmitatem duplici ratione fulcimus, & euertendis Castaldicæ coniecturæ fundamentis, vt mox patebit; & accumulandis quindecim rationibus, quas in hunc finem conglobaui numerando.

Supra § 7. n. 22.

25. Deinde rationem hanc argumentandi à Possibili ad esse, hoc modo, *fieri potuit, ergo fuit*, infirmissimum esse, sciunt quicumque à limine logicam salutarunt. Sola enim inficiatione disparet. Hinc Aristotcles l. 2. de generatione & corruptione, vt bene explicat Augustinus Niphus Suessanus, docet causam non necessariam, etiam positis proximè omnibus incitamentis, & dispositionibus ad ambulandum, aliquando non ambulaturam, quia causa libera est. Multo minus de B. Caietano affirmare possumus perrexisse Venetias, cum posset pergere, tum quia causa libera erat, tum quia non constat nobis habuisse in promptu causas motiuas & impulsiuas profectionis: neque Castaldus aliam attulit, nisi gubernationem Ordinis, quæ mox elidetur. Adde quòd captiosa ratio argumentandi censetur, & ad captionem consequentis reuocatur: cum minus commune inferatur ex magis communi: vt si dicas: *est animal, ergo est homo*. Falsa est hæc consecutio. Similiter in re proposita; ex potentia, quæ anceps est ad esse & non esse, infertur determinatè, esse. Præterea si hæc illatio admitteretur absolutè in humana vita, nihil certum haberemus in historijs: quoniam historici fingerẽt quæ vellent. Mortuũ esse tradent hoc anno regem illum, quia mori potuit. Nihil in iudicijs iusti dispicerent iudices, si, quia Milo parare potuit insidias Clodio, parauisse dicatur, & credatur. Tollendus esset è corpore iuris ciuilis titulus integer de damno infecto. Nam ex Caio iurisc. *damnum infectum est, quod nondum factum est, sed futurum veremur*, quia fieri potest. Denique euerteretur articulus fidei, qui est, Deum posse facere alia multa, quæ non fecit, aut facit: vt explicat D. Thomas, & cum eo Theologi docentes, Deum non omnia feciisse, quæ sunt possibilia, quæque ipsius infinita potestas producere potuit & potest. Quod autem interdum Theologi inferant factum ex eo, quòd fieri potuit, ideo fit, quod certum habent factum ex fide. At si hæreticus præclaro testimonio S. Augustini confossus, iactet codicem esse corruptũ, non quia veteres codices eo testimonio carẽt, sed eo solo, ꝙ corrumpi & tradi potuit, repellitur & tacere iubetur. Sic Iacobus Gretserus noster disputans aduersus Simonem Lithum Misenum Caluinianũ, hominem obmutescere coegit, negantem à S. Athanasio scriptam esse S. Antonij vitam, quia potuit ab alio Athanasio conscribi: nec vllam coniecturam, seu probationem ferebat; cum ipse contra quinque sexue Patres partim Græcos, partim Latinos obiecisset, qui S. Athanasium eius vitæ auctorem prædicabant.

Infra. § 10. n. 28.

Ar l. 2. de gener. tex. 64.

Aug. Suess. ibid.

L. 2. ff. de damno infecto.

Iac. Gretf. apol. 3. aduo. Misen. l. 6. c. vn.

§. IX. D. CASTALDVS.

26. OChini enim deprehensio non Quadragesimali tempore facta est, sed cum diebus festis in eadem S. Ioannis Ecclesia hoc anno hæreticus concionaretur.

Ad §. 9. Iulij responsio.

27. Perlibenter accipio, quod mihi datur à Castaldo, extra quadragesimam Ochinum à B. Caietano fuisse auditum & deprehensum hæreticum. Ex quo colligo eundem Caietanum post Festum Pentecostes non abfuisse Neapoli. Verisimile est Ochinum, qui magni nominis concionator erat, concionatum in aliqua celeberrima vrbe fuisse tempore magni ieiunij. Interquiescere solent post quadragesimam fatigati concionatores. Itaque circa Pentecosten venisse potuit Neapolim, quæ incidit illo anno in quartum diem Iunij, & in Dominicis & festis diebus post Pentecosten in populum venenatas conciones euomuisse. Non vnius concionis auditione callidissimus veterator poterat deprehendi: sæpè à Caietano fuerat audiendus: vt factitasse anno quoque 1539. quo redijt illuc Ochinus, & in templo

primario concionatus est, tradunt idem Castaldus & Caracciolus in vita eiusdem Beati: Itaque mense Iunio & sequentibus Ochinus à Caietano est auditus: quibus mensibus non sine magno vitæ periculo Neapolim deseri à quoquam, aut intrari, notissimum est. Fauet mihi Caracciolus, qui perspicuè scribit, Octobri mense anni eiusdem, cum duobus socijs, ad comitia Romam abijsse. Quo fit probabilissimum, æstate præcedente Neapoli non extulisse pedem. Quamobrem toto illo tempore æstiuo anni 1536. Venetijs Caietanus esse non potuit. Has difficultates cum veritate congruentes prouidens Castaldus in hac ipsa epistola scripsit, potuisse Caietanum Venetias petere; vel sub finem anni 1535. vel sub initium 1536. Quod effugium vtrum Castaldum tueatur nec ne, considerabitur eo loco.

Castal. c. 9. vitæ. Carac in vita Caiet. p. 241.

Infra §. 13. num. 41.

§. X. D. CASTALDVS.

28. NEc miretur Nigronius modò Neapoli, modò Venetijs Caietanum breui temporis interuallo adfuisse; cum nascentis familiæ commoda parens optimus fortasse moderari non posset, nisi tribus alijs socijs Venetam ciuitatem ea tempestate excolentibus ad consilium vocatis. Hac enim ratione sancti Ordinũ fundatores instar fulguris coruscantis, modò in hanc partem, modò in illam excurrere visi sunt, quo suorum necessitatibus Religiosorum consulto prouidere non desinerent.

Ad §. 10. Iulij responsio.

29. Præscriptis verbis potissima coniectura Castaldi comprehenditur, qua conatur reddere probabilem excursionem Venetam Caietani: quia videlicet nascentẽ familiam moderabatur. Rectè Sacchinus noster scisscitatur è Castaldo, si B. Caietanus Ordinem vniuersum gubernabat, Quæ tam graues causæ in perexigua familia tam longi itineris susscipiendi? vbi vel tenuissima reperitur horum negotiorum Venetijs tractatorum memoria? Quæ necessitas Venetijs conueniendi, cum postmodum Romæ omnes conuentum essent habituri? Adde quòd ex Caracciolo Bonifacius à Colle, Venetæ domui præfuit ab anno 1533. vsq; ad an. 1535. si præsentia Caietani necessaria fuit ad alium præpositum eligendum, anno certè exeũte 1535. Venetias perrexit, vt triennium Bonifacio, vt mos ipsis erat, tribuatur. Vidit Castaldus hanc necessitatem esse nullam, & ab eo post scriptionem meam excogitatam, vt meæ primæ confutationis ictum declinaret: proinde, qua est ingenuitate, victus à veritate adiecit dubitandi verbũ, *Fortasse*: quo rem certam sibi non esse declarat, & religiosam prudentiam præfert dubia pro dubijs asserendo.

Carac. pag. 219.

30. Me verò reuocat à fide præstãda huic dicto, seu coniecturæ, non modo Castaldi ipsius hæsitantia, sed etiam ratio suppeditata mihi, partim à communi scientia scriptorum præteriti sæculi, partim ab historicis Ordinis istius. Sine titulatione nego B. Caietanum toti Ordini anno 1536. præfuisse regendo. Tribus modis possumus concipere animo ac mente formam gubernationis illis initijs in Ordine clericorum regularium. Aut more veterum monachorum vnumquodque cœnobium habebat suum patrem ac Præpositum, à quo regebatur. Hæc ratio gubernandi videtur colligi, ex eo, quòd anno 1588. teste Reu. Episc. Acerratũ, fuit mutata forma gubernationis eousque retenta, & electus Præpositus Generalis Io: Baptista Milanus, qui vt caput Ordini vniuerso præesset, vt fit in alijs Ordinibus numerosis. Si gubernandi modus ita se habebat illo tempore, B. Caietanus non regebat totam familiam, sed solum Neapolitanam domum. Aut similis gubernatio erat Ordinis præstantissimi Cartusianorum, in quo, qui Prior est magnæ Cartusiæ, in diœcesi Gratianopolitana constitutæ, quæ primaria est antiquitate ac sanctitate, totã quoque Religionem moderatur. At si sic regebantur Patres Theatini, cura generalis non incumbebat B. Caietano, qui nondum stabilem domum Neapoli reperat, ne anno quidem sequenti, 1537. vt Caracciolus asserit, Castaldus non diffitetur, & clarè habetur ex Patrum Neapolitano-

Tuf. hist. ec. 5. & 60.

Carac. pag. 219. & 236.

Carac. p. 225.

tanorum expostulatione cum Prorege facta; proinde cœnobium formatũ non regebat, quod antiquitate, magnitudine, aut alijs nominibus Veneto anteferretur. Quinetiam Caietanus Neapolim venit, vt docebitur fusius, subditus, non superior; ab alio missus, non sua sponte profectus. Itaque si hæc forma regiminis erat in vsu, rector vniuersalis necessario erat Veneti cœnobij Præpositus. Atq; is erat Bernardinus Scottus Sabinensis an. 1536. exeunte, quo tempore creatus est Cardinalis Carafa, vt clarè tradit Tufus: quo fit, vt Caietanus à gubernatione illo tempore excludatur. Iisq; probabile Scottum successisse Bonifacio, qui ex Caracciolo rexit eam domum vsque ad an. 1535.

Tuf c. 5. hist. Vide Carac. p. 234 qui ait Scottũ electum Romæ post creationem Carafæ Cardinalis, fortè fuit confirm.

31. Tertia forma gubernationis potest animo fingi, vt præter Præpositos cœnobiorum, alius esset, qui cunctis Sodalibus præesset & cœnobijs, præsertim post inchoatum Neapolitanum, siue is esset Veneræ domus rector, siue non esset. Ea cura vniuersalis, si Tufo fidem habeamus, nemini hærebat, sed si in vllo fuit, erat illo anno probabilius penes Carafam, quàm penes B. Caietanum. Prima suasio est, quoniam ratione congruebat, vt ille regeret cunctum Ordinem, qui fundauerat, vt vidimus factitatum in Ordine S. Benedicti, Cartusianorum, Prædicatorum, Minimorum, in Societate Iesu, in ministrantium ægrotis & alijs, quos recensere, nec necessarium est, nec parum laboriosum. At scriptores illius æui, qui de Carafa loquuntur, vel de origine Ordinis Theatinorum, omnes Carafæ, vel primas tribuunt in eiusdem fundatione, vel ipsam familiæ religiosæ fundationem: cum scribunt eum fundasse Ordinem cum tribus alijs; coegisse, aut adsciuisse sibi socios; denominasse Religionem ab suo Episcopatu, primum esse institutorem. Ita Ioannes Paulus Flauianus in oratione funebri Pauli Quarti edita ab Antonio Caracciolo. Antonius Carafa, postea Cardinal. in quadam narratione de vita Pauli eiusdem vulgata typis ab eodem Caracciolo. Nauar. in cõsilio pro ipsis facto. Fr. Felix Castellfiãco Ord. Præd. in comp. Chrõ. Præd. edit. 1566. Romæ. Marius Matesilanus l. de Guelfis & Gibellinis par. 2. fol. 42. referente Caracciolo eodem. Onuphrius Panuinius in vita Pauli. M. Antonius Marsilius Columna Salernitanus Archiepiscopus tr. de origine reddituum Ecclesiasticorum par. 2. referente etiam Andrea Molfesio clerico regulari eiusdem Ordinis in consilio 45. Post hos alij paulo recentiores astruunt eandem positionem. Paulus Morigia ex Ordine Iesuatorum in libro de Religionum omnium origine. Rutilius Benzonus Episcopus Lauretanus in opere de anno Iubilæo. Emmanuel Rodericus Ordinis Minorum in tomo primo quæstionum regularium. Andreas Stella clericus regularis de Sõmasca in vita Ven. viri Hieronymi Æmiliani congregationis illius institutoris. Augustinus Turtura in eiusdem vita l. 1. c. 17. Alfonsus Ciacconus ex Ordine Prædicatorum parte 2. de Pontificibus & Cardinalibus. Siluester Maurolicus in libro quinto Oceani, siue historiæ Religionum. Io: Azor. tomo primo institut. Moralium. Ribadeneira in vita Iacobi Laynez latinè reddita ab Andrea Schotto, Hor. Tursell. l. 10. epitom. Histor. Hic dicet fortasse aliquis, numeratos scriptores minus propriè locutos; famam vulgarem secutos, ortam ex appellatione Theatinorum: at primas B. Caietano esse dandas. Verum id existimandum non est de Flauio, qui funebrẽ habuit orationem: quem nemo iure dubitare potest, quin à Patribus fuerit de veritate edoctus, & similiter Nauarrus. Neque id affirmare debet de Antonio Carafa sanguine propinquo & conscio arcanorum. Sed quid responderi potest, si Castaldus ipse ac Sodales producantur? Ille scribens Pauli vitam appellat in fronte operis sine limitatione, aut additione vlla, fundatorem Ordinis clericorum regularium. & cap. XVII. asserit ab eo institutam suam Religionem: eundem dedisse suæ Religioni principium & Regulam. Marcellinus de Odda Præpositus gene-

Nau. cons. 9. de Maiorit. & obed. Id p. 48. Onuphrius. Panuin in vita Pauli 4. Marsil. Archiep Saler. tr. de orig. red. eccl. p. 2. c. 16. n. 29. Molf. cons. 45. n. 7. Morig l. de orig. Religc. 50. Rut. Benz. l. 1. de Iubil. c. 8. Em. Rod. t. 1 regul. q. q. 3. ar. 14. Andr. Stella, l. 3. vitæ Æmiliani. Turtura li. 1. c. 17. Alf. Ciacc. hist. de Pontif. & Cardin p. 2. in Paulo 4. Silu. Maurol. hist religl. 5. c. de cler. regul. Azor. t. 1. l. 13. c. 11. q. 8. Ribad l. 1. vitæ Layn. c. 11.

Castal. in vita Pauli 4. cap. 17.

Caracc p. 119. Idem p. 147. num. 6.

generalis,in facultate impressionis vocat nostrum institutorem. Antonius Caracciolus in dedicatione operis ad Paulum V.vocat Paulum IV. conditorem Ordinis;& in vita B.Caietani tradit,suũ Ordinẽ fuisse à Carafa recens fundatũ.In c.53. historiæ scriptæ ab Episcopo Acerrarum dicitur fundator illius Religionis.Deniq; in Constitutionib.dicitur monasteriũ Sapiẽtię extructũ à sorore Pauli IV.congregationis nostrę institutoris.Verũhoc loco rursus alius ingeret mihi dictorum horũ interpretationem,à Quadriga Ordinem esse fundatum:sic scriptum legitur in prę-fatione ad constitutiones huius Ordinis: hoc est,quatuor fuisse fundatores, vt ita dicatur,in solidum. Atque hoc confirmabit ex Io:Antonio Angrisano, qui faciens potestatem Caracciolo sua collectanea excudendi, ait illis contineri gesta quatuor Patrum, qui suum Ordinem fundarunt, & in facultate concessa Domino Castaldo vulgãdi vitam B. Caietani, scripsit eum esse vnum è quatuor fundatoribus; proinde cum Carafa dicitur fundator,alij non excluduntur, & multo minus B.Caietanus. Sed hoc effugium præcluditur. Primum quia si Caietano reliqui fundatores æquantur, non illi fundatoris nomen conuenit magis, quam vel Paulo Consiliario, vel Bonifacio à Colle.Cur ergò Castaldus vult ab eo Neapoli cõmorãte nascentem familiam potius regi, quàm ab alijs ? Deinde historici huius Ordinis huic interpretationi repugnãt; quia principatum tribuunt Carafæ, seu primatum inter quatuor, seu præponunt tribus Sodalibus.Nam Episcopo Tufo in c.1. Carafa est *primus auctor,caput & fundator*.cap. 4.*primus fundator*. cap. 5. *præcipuum membrum & caput*. Caracciolo inter fundatores est præcipuus Caietanus post Carafam;quo loquendi modo sine controuersia Caietano præponit Carafam. Castaldus scribens,vt dixi,datam suæ Religioni cum principio regulam à Carafa, quid aliud significare potest,nisi principatum in fundatione ? Qui nam in Ordinibus dat regulam,nisi primarius fundator?

Carac.p. 214.

Tufus hist. c.53.

Const.p.1. c.6.

Tuf. c 1. & 4.& 5.hist.

Carac.p. 177.

32. Alius & fortasse Castaldus se declinare ictum arbitrabitur dicens, ambos esse primarios fundatores,sed ratione diuersa, Caietanus fundator dicitur, quia primus de Religione reformatorum Clericorum condenda cogitauit; primus socios quæsiuit, & cogere cœpit. Carafa vero, quia Sodalibus primis, dignitate, scientia, ætate, atque auctoritate anteibat.Quam ob causam Pontifex in litteris ac breuibus primo loco Carafam nominat: in professione facienda, primus solemnia vota nuncupat:post professionem primus à cęteris in Præpositum eligitur. Hæc non inscienter dicuntur : sed non commouent quidquam meam propositionem de potestate gubernandi in Carafa residente. Etenim parum mea refert vter eorum propriè sit appellandus fundator, aut qua de causa reliquis præpositus, dummodo mihi concedatur potestatem gubernandi Ordinis in Carafa, potius quàm in Caietano resedisse, potissimum quo tempore Neapoli degebat Caietanus. Hac enim tantum de causa prouinciam hanc suscepi probandi Carafam fuisse primarium fundatorem : vt scilicet obtinerem administrationem Sancti gregis,quamquam pusilli,habuisse : quo impetrato,sit per me Caietanus aut primus, aut æquè fundator.Hoc vt facilius impetrem,mihi probandum suscipio ex eorũ dictis,factis,scriptis.

33. Prima ratio. Nuncupatis solemnibus votis,quatuor illi Patres in ipso S. Petri templo elegerunt in Præpositum Ioannem Petrum Carafam, vt tradunt Tufus,Caracciolus,& Castaldus : qui in vita Caietani speciatim ait, electum fuisse in *primum Præpositum & caput totius congregationis*. Electionem Episcopus Caietanus Papæ commissarius in excipienda eorum professione,confirmauit auctoritate Apostolica. Dices præscriptum à Pontifice Clemente in diplomate erectionis, vt Præpositus *vsque ad triennium & non vltra confirmari posset*. Propterea, vt refert Caracciolus, post triennium, hoc est anno 1527. Venetijs, quo se receperant post Romanæ

Tuf.c.2 hist. Carac.pag. 158.

Castal. c.2. vita Paul. & c. 3. vita Caiet.

Carac.pag. 212.

Romanæ vrbis direptionem, die 9. Crucis exaltatæ B. Caietanum parui gregis pastorem elegerunt. Sed cur idem Caracciolus ait anno 1528. Veronam missum Bonifacium cum septem socijs *à Theatino Episcopo, & à Caietano, penes quos tum rerum summa erat?* Si Caietanus Præpositus, cur se immiscet Carafa in missionem Veronensem? conijcere licet, Caietano domus gubernationem commissam, sed Episcopo Religionis administrationem. Vt vt res sit, lego apud eundem Caracciolum anno 1532. Carafam iterum Præpositum Venetijs. Eodem anno rogatur à ciuitate Neapolitana per litteras, vt socios mittat Neapolim, vt refert Tufus, quod non fecisset ciuitas, nisi superiorem Ordinis esse cognouisset, à quo id posset impetrare. Idem Carafa pro imperio mittit Neapolim an. 1533. B. Caietanum cum Ioanne Marino socio, vt narrat Caracciolus in vita Caietani. Carafa item ad sororem scribens, anno 1534. vt est apud eundem Caracciolum, asserit à se missos Caietanum & Ioannem: qui loquendi modus potestatem significat. Adde quòd in discessu B. Caietanus edidit memorabile illud exemplum humilitatis & indifferẽtiæ (quòd iam retuli) recusans eligere socium pro suo arbitratu: quamuis illi facta esset à Carafa potestas. Si fuisset alijs Præpositus, non dixisset illa verba, digna quidem cedro & ære, sed indicia subiectionis: *ego ne socium eligam, quem malim? Immo oro, atq; obsecro hũc quem cernitis Christum confixum Cruci, vobis vt inspiret, illum mihi iungere socium, qui meæ maxime omnium aduersus sit voluntati.* Quia ergo Carafam agnoscebat caput, ideo se humiliter ac religiosè gessit, vt par erat, in repudianda optione Sodalis. Neque vero, quòd Carafa dicatur Præpositus domus, cum misit Neapolim Caietanum, officit meæ causæ. Nam illud habeo, religiosam iurisdictionem, seu potestatem in Caietanum & ceteros penes Carafam tum fuisse cum illi mittebantur illuc; nec postea legitur amplius in Caietanum fuisse translata. Quinetiam ex Caracciolo Caietanus Neapoli degens mense Septembri eiusdem anni, quo erat illuc, declaratus absens Venetijs Præpositus Neapolitanus.

Id. p. 270.

Tuf. c. 4. hist.

Carac. p. 214.

Id. p. 229.

Supra §. 4. n. 15.

Carac. p. 222.

Carac. p. 25

34. Altera ratio probans in Carafæ, non in Caietani manu per id tempus administrationem totius familiæ fuisse, eruitur ex epistola valde luculenta Carafæ Venetijs data 1554. 18. Ian. ad Caietanum & socios Neapoli commorantes, quam vulgauit typis Antonius Caracciolus in suis collectaneis. In ea loquitur tamquam potestatem habens, & gubernans vniuersum Ordinem: quod in viro probo, qui mundi gloriam conculcauerat, & Ecclesiasticis dignitatibus se abdicauerat, vt in humilitate ac subiectione Deo seruiret, non est tribuendum arrogantiæ, sed legitimo iuri, illi à familia ritè collato. Obseruentur hæc pauca in exemplum. Renuit Carafa duos à socijs Neapoli commorantibus propositos sibi, vt in Ordinem adscriberentur. Cogitat de mittendo Caietano Romam, vt Pontifex in Vrbem redierit. Transmittit Neapolim formam professionis à Petro Veronensi faciendæ. Ait se promouisse Gregorium ad Diaconatum, & euecturum ad Sacerdotium. Recipit in Religionem Simonem Bergomensem. Hæc nemo prudens negare potest, quin sint actus religiosæ potestatis & legitimæ auctoritatis, non solum in domum & socios Venetos, sed etiam in cœnobium & Sodales Neapolitanos, ac nominatim in ipsum Caietanum, quem Romam mittere cogitabat, & cuius postulatis non obsequitur. Si hæc facit, vt Præpositus Veneti cœnobij, ergo Venetus Præpositus etiam Neapolitanis imperabat, rerumque omnium potestatem habebat. Verum Caracciolus non id facile concedet, quoniam scripsit in margine paginæ 25. Bonifacium à Colle præfuisse domui Venetæ ab anno 1533. vsque ad 1535. & Tufus, vt scripsi, tradit Bernardinum Scotum Venetæ domui præfuisse, cum Carafa Romam euocatus est. Igitur Carafa cum hæc scribebat anno 1534. exercebat hanc potestatem vt Præpositus Ordini vniuerso. Et sanè valde probabile est, vt constituta domo Neapolitana creuerint occupationes, atque

sideo gubernationem vniuersalem vni tradiderint, qui domesticis negotijs nequaquã destineretur. In hoc minime laboro: sed conficio ex hac longiori disputatione, cum Caietanus non regeret Ordinem, sed potius Carafa, non fuisse opus Caietano Neapoli discedere Venetias, vt nascentis familiæ commoda procuraret: quod Castaldus putabat esse argumentum (quamquam sub dubio & timide) Venetæ controuersæ profectionis.

S.7. nu. 19. 35. Ex eadem disputatione traho rationem aliam ex præmissis, quæ secunda numeratur ex parte Caietani: nimirum improbabilissimam esse petitionem B. Ignatij factam Caietano. Recta ratio dictabat, & prudentia non vulgaris cum experientia coniuncta præscribebat Ignatio, vt ad superiorem vel cœnobij, vel Religionis accederet, vt in Ordinem admitteretur. At Caietanus non erat domus Venetæ Præpositus, sed Neapolitanæ; non rector Ordinis, vt probatum est. Habebat aliquam cum Carafa familiaritatem Ignatius, vt omnes fatentur; nullam cum Caietano, qui Venetijs esse potuisse dicitur paucis diebus: cur non conuenit Carafã? cur non egit cum eo de suæ mutatione vitæ? Dicet aliquis (tacitis omnibus dubitationibus occurrendum est, vt veritas è tenebris eluceat) Non egit cum Carafa, quia simultates quædam interceserant inter ipsos. Quæro primum, vnde habes simultates ortas, antequam cogitatio de amplectenda noua illa Religione subiret animum Ignatij? si Carafam adijsset ante simultates, benigne atque amanter fuisset auditus. Deinde respondeo (tantisper omissa discussione de veritate & grauitate harum simultatum) respondeo inquam dilemmate: vel Carafa erat amicus Ignatij, vel ab eo alienior. Si amicus, quidni ad illum accurrerat ad petendum habitum? Si alienior ab Ignatio, neque hic tentasset ingressum in Religionem à parum amico erectam & gubernatam, vel in qua plurimum posset, quod teneret primas: neque Carafa petentem recepisset, quem Ordini minus bene affectum, ob simultates, suspicaretur. Quod si dicatur conueniisse Caietanum, vt eo tamquam internuncio cum Carafa supremo familiæ Præposito vteretur, pugnat hoc cum narratione Castaldi quam oppugno, in qua B. Caietanus tanquam potestatem habens recipiendi, & Ignatium audit petentem, & reijcit auditum. Nec per hoc effugium tollitur vis dilemmatis de simultate cum Carafa, ob quam, si tanta erat, vt charitatem mutuam frigefaceret, ne opera quidem interuentoris fuisset admissus. Multo minus euitat ictum, si dicat Castaldus, Caietanum habuisse facultatem recipiendi nouitios, secumque Neapolim abducendi; tum quia hoc est diuinare: tum quia epistola iam relata demonstrat potestatem admittendi nouos socios in communem cœtum in Carafa tunc fuisse, qui Simonem Bergomensem pro libito adscripsit, oblatos à Caietano competentes repudiauit.

§. XI. D. CASTALDVS.

36. QVis crederet Ignatiũ annis 29. & 30. in Belgium & Angliam, bis, vel ter excurrisse, vt stipem à mercatoribus cogeret, cum apud Ribadeneiram cęteroque habeat ab anno 28. vsque ad 35. Lutetiæ studiorum causa constitisse?

Ad §. 11. Iulij responsa.

37. Probare conatur Castaldus excursionem B. Caietani exemplo B. Ignatij Lutetiæ commorantis. Sed nihil proficit ob magnam diuersitatem factorum, & personarum. B. Caietanus cœnobio gubernando addictus; B. Ignatius liber & sui iuris. Ille senior; hic iunior. De illo scriptores ita loquuntur, vt Neapoli recessisse negent: de hoc historici nostri clarè asserunt bis, terue, & sæpius Luteria, dum studeret, recessisse.

§. XII.

§. XII. D. CASTALDVS.

38. SEd & de B. Caietano non temere effusum. Is enim, vt erat erecto vir animo, & in proximorum salutem accenso, temporis compendio plena incommodis itinera aggredi solebat, vel animabus, vel sui Ordinis bono profuturus. Liceat nunc vnius, aut alterius reminisci, quorum nec Tufus, nec Caracciolus meminit. Neapoli morabatur senio pænè confectus cum Romam petijt S.R.E. Cardinalem allocuturus, sed tam breui redijt, vt Neapolitani proceres, prius regressum, quàm profectum sciuerint. Hinc etiam Veronam vsque excurrit, nescio quid pro Giberto illius ciuitatis Episcopo acturus, statimque Verona migrauit, vt è manuscriptis fide plenis in archiuio S. Pauli aseruatis liquidò constat.

Castal. c. 8. vita B. Caiet.

Id. c. 6.

Ad §. 12. Iulij responsio.

39. Affert hic quoque in probationem excursionis Venetæ, duas excursiones B. Caietani, sed nihil roboris habet eadem ratio argumentandi, superius contusa: excurrit alias, ergo potuit excurrere Venetias, ergo excurrit. Potuit enim, sed æque non potuit, & nisi probetur excurrisse, semper iure negabitur illa excursio; quoniam ex posse contingenti ac libero, vt Scholasticorum more loquar, non infertur esse & factum esse. Vt probet Venetam profectionem sine scientia duorum suorum historicorum esse potuisse, producit duas excursiones Caietani, Romanam & Veronensem, quarum ait nec Tufum, nec Caracciolum meminisse: quæ nihil illi prosunt. Aut enim excursiones hæ, sunt illæ, quarum ipse meminit in vita Caietani cap. 8. & 6. vel ab illis diuersæ. Si sunt eædem, vt notæ marginis designant, ipsum feriunt. Nam Romanæ excursionis meminit Episcopus Tufus cap. 9. historię, atque Antonius Caracciolus copiosius in suis collectaneis pag. 250. Veronensis autem mentionem faciunt ijdem: Episcopus quidem in cap. 61. Caracciolus vero pag. 245. & 270. Si sunt diuersæ, cur designantur in margine loca illa vitæ Caietani? cur non explicãtur tẽpora, quibus sunt factę?

Sup. §. 8. n. 26.

cur nõ producit manuscripta illa plena fide, vnde aliquid lucis haurire possemus?

§. XIII. D. CASTALDVS.

41. POtuit igitur B. Caietanus, vel sub finem trigesimi quinti anni, vel sub initium trigesimi sexti Venetias petere, rebusque cum socijs compositis, Adriatico transfretato, vti solebat, Neapolim iterum redire, Romam post Neapolitana negotia expedita profecturus.

Ad §. 13 Iulij responsio.

42. Etsi B. Caietanus Venetijs exeunte anno 35. esse potuit, tamen cum Ignatio congredi non potuit, qui nondum Venetias attigerat. Propendet in hanc sententiã Castaldus; cum ait paulò post, *se non temere colligere sub eiusdem anni (36.) initium eum aduentasse* Venetias. Eam facio perspicuam hoc modo. ex Ioannis Petri Maffeij narratione, cui adstipulatur Ioãnes Lucena scriptor vitæ B. Francisci Xauerij, per autumni tempus anni 1535. Parisijs recessit, Pyrenæis montibus superatis in patriam nudis plantis & cruribus perrexit. Ibi res domesticas composuit; domum paternam sanctis legibus conformauit: in oppido ipso conciones habuit, vitiosas consuetudines euellit, multa bona opera constituit; per tres menses, vt in relatione Cardinalis à Mõte dict. in hospitali Magdalenæ substitit. Inde pedes Nauarram, Castellam (quæ prouinciæ sunt) Toletum vsque peragrauit: socios veteres conquisiuit; recentium negotia, quæ habebat in mandatis, expediuit. Quę omnia tam accuratè expendo, vt intelligatur in ijs multum temporis esse consumptum, nec Valentiam peruenire potuisse, nisi hieme adulta. Ratio quoque temporis habenda est, quod sibi nauigatio & tempestas rapuit, antequàm Genuensem caperet portum. Genua discedens, pedes itidem, multos dies in illo periculoso itinere per Apenninũ posuit, vt Bononiam perueniret. Bononiæ ægrotauit, teste Ribadeneira, dies aliquot in Collegio Hispanorum moratus est, vt reficeret vires, ex Maffeio & Orlandino: aliquid etiam temporis itineri,

Infra §. 14.

Matt. l. 2. vitæ c. 1. Lucena l. 1. vitæ Xau. c. 4.

quo

quo Venetias Bononia perrexit, datum est. Si summa bene supputando colligatur, non ante finem hiemis Venetijs conquiescere potuit. Asseruatur in archiuo Romano narratio quædam Ioannis Polanci, qui cum B. Ignatio diu vixit, eique fuit ab epistolis; extantque præterea scripta, vnde Franciscus Sacchinus Secretarius Societatis à me de hac re consultus, respondit 27. Martij 1620. colligi, non peruenisse Venetias Ignatium ante finem hiemis. Itaque conijcere licet sub finem Martij anni 1536. eum celeberrimam vrbem appulisse. Ex præmissis soluta est prima pars difficultatis concorditer cum Castaldo non potuisse colloqui Beatos inter se anno 1535.

43. Restat de anno 1536. dicendum. Si velimus sub initium anni 1536. Caietanũ Venetias adnauigasse, aut inde renauigasse per Adriaticum mare, parum probabiliter loquimur; cum huiusmodi nauigatio media hieme sit periculosissima. Verum dato & non concesso, huius initio anni profectum Venetias, (quod post Natalẽ & Epiphaniorum diem festum celebratum in sua Ecclesia fieri docuit) non potuit esse cum Ignatio, neque Ianuario mense, neq; Februario, & vero etiam neque Martio; quoniam ponimus probabilibus ducti coniecturis, B. Ignatij appulsum ad eam vrbem, sub finem hiemis, quæ verno æquinoctio finiri solet, in regionibus præsertim frigidioribus, quales sunt Venetiæ polum Arcticum eleuatum habentes gradibus quadraginta quinque. Adde quòd illo anno dies cinerum, quem ieiunium Quadragesimale sequitur, in Kalendas Martias incidit: resurrectionis vero Dominicæ dies in XVI. Aprilis. Nec quisquam prudens existimabit B. Caietanum tam sancto tempore à suo cœnobio abfuisse: quo tempore pastoris præsentia valde necessaria est ouili, tum propter domesticos ipsius curæ concreditos, tum propter extraneos aliquot, quos minime negligebat. Si refugiat Castaldus ad mensem Maium, tunc plures grauioresque difficultates illi oriuntur. Non enim quintus anni mensis dici potest initium anni: & verisimile est iam fuisse inchoatam falsam criminationem aduersus Ignatium, qua exardescente non erat opportunum tempus agendi de ingressu sanctæ illius Religionis. Itaque si B. Caietanus Venetijs fuit anni 1536. initio, probabile est ante Martium redijsse Neapolim, vt non potuerit Ignatium videre. Probabile dixi, spectata prudentia gubernandi, & sanctitate B. Caietani, qui postea multo senior, vt Ascensionis Dominicæ die cum socijs suis in cœnobio atq; in Odeo interesset Neapoli, fessus licet pridiano itinere, noluit Atellæ quiescere, sed nocte ipsa Neapolim excurrit: quod ipse Castaldus cum Caracciolo testatur. Referantur huc quæ dicam ad §. XXIII. *Castal. c. 8. vita Carac. p. 250.*

§. XIV. DOM. CASTALDVS.

44. NEc vero Caietani cum Toletano Prorege congressus Nigronium iuuat. Esto enim Parens noster, nostros seq; dixerit Neapoli quatuor integros annos mansisse; non inde fit non potuisse, vel parum Neapoli discedere sua munera obiturum. Præsertim cum de tota familia locutus fuerit; quod indicat illa vox, *Mansimus*, quam & Petrus Veronensis tunc temporis Neapolitanæ domus præpositus protulit, & tamen multis post Caietanum mensibus eandem ciuitatem incoluit. Non aliter de Ignatio dictum est anno 1528. vsque ad 1535. in Gallijs vacasse studijs: cum sæpius in varias regiones eodem tempore abierit, Belgium, Angliam, finitimasque prouincias lustrans. Accedit Caietanum anno 36. duobus mensibus Romæ constitisse, vt comitia celebraret: quæ tamen à Neapolitana ciuitate distractio Thienææ assertionis veritati non officit.

Ad §. 14. Iulij responsio.

45. Dixi superius cum Sacchino, constare de Neapolitana commoratione, de profectione siue excursione Veneta non constare; quæ ad effugium excogitata videtur, cum nulla probatione fulciatur. *Supra §. 8. n. 24.*

Me-

minerit Castaldus summi Oratoris verba in M. Antonium iactata: *Quid est minus, non dico Oratoris, sed hominis, quam obijcere aduersario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit.* Itaque pernego, vt hactenus negaui, Caietanum excurrisse Venetias, & cum Ignatio congressum. Difficillimum, mihi credat, est probare septem illis circiter mensibus, qui inter hiemis finem, & Romanam Caietani profectionem intercurrunt, duos illos Beatos componi potuisse; cum tam multa ex parte vtriusque repugnent, quæ omnia cursim numerata sunt; & partim iam enucleata diligenter, partim in decursu respõsionis explicabuntur. Nec exemplum B. Ignatii quidquam mihi obest; quoniam historici nostri nusquam & numquam scripserunt, eius Lutetianam mansionem adeò constantem & continuatam fuisse, vt inde numquam aliquò decesserit; cum ingenuè ac disertè tradant aliquories aliò perrexisse, vt iam me dixisse recordor.

Cic. phil. 2.

Supra §. 7. n. 2.

Supra §. 11. n. 37.

§. XV. D. CASTALDVS.

" 46. Ed age iam ostendamus Ignatium
" multo ante Octobrem mensem
" Venetijs fuisse, vt omnino appareat, po-
" tuisse cum Caietano agere, ante Caietani
" discessum. Scio adhuc sub iudice esse, quo
" mense Ignatius Venetias appulerit. Quod
" omnes fatentur hoc est, ipsum anno 36. ex
" Hispania redeuntem Venetias excepisse,
" & vsque ad 37. retinuisse. Sed ex ijs, quæ
" in eadem Ciuitate Ignatio acciderunt, nõ
" temerè colligo, sub eiusdem anni initium
" eum aduentasse. Orlandinus inter alia hęc
" tradit. *Egit* (id est Ignatius) *inter alios familiariter cum Ioanne Petro Carafa* &c. & paulò
" post: *Ceterum priusquam vsu aliquo, consuetudineque Io. Petrus mores calleret Ignatij, falsis criminationibus adductus, vt erat in his, quæ ad orthodoxam fidem pertinent, seuerus & acer in primis censor, minus eius fauere causa, in eam, quam diximus, suspicionis procella visus est.* Hæc ille.
" Quod etiam Ribadeneira narrat l. 2. c. 6.
" sed Io: Petrus Carafa, vt Caracciolus scribit, mense Octobri Venetijs discessit. Igitur ante hunc mensem suspicio de Ignatij fide exorta est: Io: Petri contradictio excitata; eius vitæ probitas examinata, ac demum Ignatius ad Carafæ consuetudinem admissus: quæ omnia paucis diebus absolui nequaquam potuerunt. Præsertim cum ad Illustrissimum virum Hieronymũ Verallum Apostolicum Nuntium causa delata fuerit: testes sint accersiti: mores Ignatij examinati probatique, ac demum de ijs, quæ ad fidem pertinent, sit conquisitum, quæ non tam cito absoluuntur, vt Nigronius fortasse suadere conatur. Nec imprudens prætermitto Ignatium ante huius procellę ortum, tres probatos viros suarum virtutum odore allectos, multorum dierum exercitijs excultos ibidem Domino peperisse, sibique sociasse. Ergo eo tempore, quo B. Caietanus Venetijs adesse poterat, Ignatius Venetijs morabatur.

Orl. l. 1. hist. n. 122.

Ad §. 15. Iulij responsio.

47. Plus temporis Castaldo tribuo, quàm petit. Fuit B. Ignatius, vt iam me significasse recolo, Venetijs ab hieme discedente anni 1536. vsque ad aduentum sociorũ, qui appulerunt 8. Ianuarij 1537. Præterea cum socijs commoratus est plusquã duos menses: quos Romam misit ad mediam quadragesimam eiusdem anni, ipse verò Venetijs restitit, vt omnes historici nostri tradiderunt, ob causas ab Orlandino memoratas. Vbi illi Roma reuertissent cũ facultate summi Pontificis sacros ordines suscipiendi, præmisso voto castitatis & paupertatis coram Hieronymo Verallo nuntio Apostolico, sunt omnes initiati Sacerdotio 24. Iunij 1537. ab Episcopo Arbensi. Sacerdotium susceptum secutus est secessus Vicetinus in Ignatio, qui exacta æstate dimissis per Italiæ vniuersitates socijs binis ad fructificandum, cum Fabro & Layne Romam profectus cæteros anteiuit, ingressusque Romam est Octobri mense, vt memoriæ nostræ tradidit Orlandinus: atque vt ex ijs, quæ mox dicam, ipse conijcio, exeunte Octobri; quòd non ante diem 13. eiusdem mensis Venetijs discesserat. His positis inquiramus nunc diligenter ecquando, quoue mense potuerint inter se duo Beati, de Religionis

Supra §. 13. n. 42.

Ribad. l. 2. c. 7. Maff. lib. 2. c. 3. Orlan. l. 2. num. 3. Rib. l. 2. c. 7 Maff. l. 2. c. 4. Orl. l. 2. n. 12. Tursell. l. vit. Xauer. c. 6. Lu. l. 1. vit. Xauer. c. 5. Orl. l. 2. n. 35.

ingressu agere. Annus 37. non venit in disputationem, tum quia Caietanus sub eius finem Neapolim redierat, tum quia B. Ignatij socij venerant è Gallia, quibus præsentibus, non vult Castaldus factam esse illam petitionem. Coarctatur disputatio ad septem ann. 36. menses, qui sunt interiecti inter appulsum Ignatij Venetias, & Caietani discessū ad Romana comitia.

48 Si B. Caietanus excurrit Venetias in anni 35. fine, vel initio 36. vel discessit ante sacra cineralia, vt verisimillimum diximus, & tunc Ignatius, qui venerat sub finem hiemis, non potuit illum videre, præsertim cum necesse illi fuerit, quamprimum inuenire hospitium, conducere domunculam, in qua sic habitaret, vt commode tractaret de rebus spiritualibus; exigere pecunias, quas per trapezitas illi curauerat Elisabetha Rosella pijssima matrona: inquirere Hispanos, à quibus, vt fieri solet, consilio & auxilio peregrinus Hispanus iuuaretur. Ad hæc, non tam cito potuit ad eius aures peruenire fama sanctitatis B. Caietani, qui tunc cœnobij S. Nicolai non habitator erat, sed hospes ad breue tempus Neapolim remigraturus. Itaque fac veniſſe Ignatium paulò ante discessum Caietani; dum enumerata illa parantur, expediunturque, B. Caietanus ad celebrandum Paschale ieiunium Neapolim iter instituit; vnde cura familiæ, necessitas constituendæ stabilis domus, qua carebant, non patiebatur abesse diutius. Præterea quomodo res ea gesta narratur à Castaldo, non fuit dierum paucorum sed multorum, quo capite minus verisimilis efficitur illa narratio, quæ tamdiu retinebat Caietanum absentem à grege. Si detineas Caietanum vsque ad æstatem, iam plane incredibilē reddes Venetam ipsius mansionem: ac meminisse debes æstiuis Dominicis festisque diebus audiendum fuisse Ochinum Neapoli concionantem, vt deprehenderetur hæreticus: atque eo tempore auditum, vt probatum est superius.

Supra §. 13. n. 43.

Maff. l. 2. n. 2.

Supra §. 9. n. 27.

49 Postremo, Castaldus hoc loco demonstrat diuturnam fuisse causam iudicialem de fide ac probitate Ignatij; quod ego libens concedo. Verum cum indicat ea expedita, colloquium illud contigisse in cœnobio S. Nicolai, securim injecit causæ suæ. Nam per sententiam finita est: hæc lata est XIII. Octobris anni non trigesimi sexti, sed septimi. Sic ad me scripsit Franciscus Sacchinus, qui meo rogatu sententiam in tabulario Romano, in quo testibus Ribadeneira & Orlandino asseruatur, legit. Nec error esse potest in numeris, quoniam in ea absoluitur Ignatius sacerdos; qui non nisi anno 1537. creatus est, vt dixi, 24. Iunij. Nec si data esset 13. Oct. 1536. quidquam iuuaret positionem ipsius, quia Octobri mense Caietanus Neapoli erat, & inde Romam non Venetijs profectus est, Caracciolo teste. Quod si quæras cur tam sero scripta sit illa sententia, respondeam, vel quod multum requireretur temporis, vt ex Hispania Galliaq; sententiæ in ijs regnis latę pro Ignatio perferrētur ad purgationem rei: vel quod Iudex nullas videns solidas accusationes, (quia nemo accusabat nominatim) sed rumores manes sine probatione sparsos, negligeret ferre sententiam minime à se necessariam existimatam. Verum B. Ignatius, qui suam suorūq; innocentiam nonnisi purgatam ab omni suspicione, testatamque in Romanam curiam venire volebat, non ante Venetijs discessit, quam scripto sententiam expressit à Nuntij vicario. Qua obtenta confestim in nauicula Romam versus intulit pedem. Ferueute accusationis tempestate, ac pendente iudicio, quis credat Ignatium prudentem virum petiuisse Ordinis illius habitum, ac sperauisse se receptum iri in eam familiam, in qua viuebat, & primas tenebat Carafa, tam acer ac vehemens, vt postea cognitum est, Catholicæ fidei defensor, hæresum hostis? Castaldus, quem arbitror eodem zelo plenum, quo maiores ipsius, profecto non eum admisisset in Ordinem calculo suo; neque nunc adscribi permitteret hominem hæresis nomine suspectum, nisi de falsa calumnia & suspicione purgatum.

Caracc. p. 236.

50. Di-

50. Dicet aliquis: Potuerunt inter se colloqui viri illi beati antequam in Ignatium esset exorta procella. Respondeo primum nondū esse repertum tempus, quo constet nobis simul ambos fuisse Venetijs. Deinde Ignatius inimicus otij, cupidissimus animarum saluandarum, vix Venetias attigit, cum è vestigio cœpit facere quæstus spirituales, ac socios adiungere sibi; ac simul eodem tempore falsæ criminationes percrebuerunt. Id constat ex eo, quod Iacobus Hozius non prius legere voluit commentationes ab Ignatio propositas, quam ad Theologicam normam multis secum catholicorum libris comportatis, eas exegisset. Itaque nullum propemodum fuisse tempus reperitur commorationis Venetæ, quo tempore tempestas illa falsis criminationibus tamquam fluctibus, non concussisset Ignatium. Proinde nec tempus designabit Castaldus, quo B. Ignatius adeo sine suspicione praui dogmatis esset, vt & ipse petere auderet illum Ordinem; Ordo vicissim Ignatium recipere auderet. Adde incredibile esse, rem attente consideranti, tum Ignatium de socijs deserendis, mutanda vitæ ratione, Societate inchoata dissoluenda cogitasse; cum maxime ad destinata exequenda incumberet, nouis socijs adsciscendis sodalitatem augeret, nouis lucris spiritualibus comparandis zelum antiquum acquirendarum Deo animarum, nunquam intermissum confoueret. Non modo verba, sed etiam facta voluntatem indicant, vt iura legesque definiunt. Testes sunt omnes nostri scriptores; qui, dum socios opperiebatur Ignatius, tradunt eum sibi Iacobum Hozium, geminosque fratres Iacobum & Stephanum de Eguia, qui omnes in Societate obierunt, adiunxisse.

Orlan. l. 1. n. 119.

L. Labeo. de pactis.

§. XVI. D. CASTALDVS.

51. „ REstat in hac prima controuersia, vt Nigronio probem, meam narrationem fide haudquaquam indignam, esse, eo quòd Tusus, aut Caracciolus, qui eam prætermisere, sint fide dignissimi. Equidem multa Orlandino Maffeioque, de Ignatio differentibus libenter credimus; quæ si Nigronij ratiocinatio rectè concluderet, reijcere deberemus. Sic enim & mihi ratiocinari licebit. Petrus Ribadeneira in epistola ad Gasparem Quirogam Cardinalem, & Toletanum antistitem; & in literis datis sub anno 1586. ad sui Ordinis fratres, ingenue fatetur ab anno XIV. suæ ætatis B. Ignatium secutum fuisse, à quo suorum itinerum comes electus, ne latum vnguem ab eius latere vnquam dimoueri potuit, siue domi contineretur Ignatius, siue extra domum aliquo pergeret. Deinde narrat omnia huius Beati facta dictaque scriptis mandasse; ea quæ ipse viderat audieratque, & quę vel à Ludouico Gonzales probato viro, & Ignatio coniunctissimo, vel à P. Lainez primo Ignatij socio acceperat. Hic igitur in vita sui Fundatoris l. 5. cap. vltimo, disputationem longissimam instituit, qua prudenter & eleganter, vt solet, Ignatium excusat, si quis forte temerario ausu, eius spreuerit improbauerit quę virtutem eo, quod miracula non patrarit. Quod Ludouicus Granatensis, cum ad eundem Ribadeneiram de vita Ignatij ab ipso conscripta ferret sententiam, comprobauit. At non pauca Orlandinus ceterique post Ribadeneiram attulere miracula. Cuius igitur fidei standum? Si Ribadeneiræ; ergo Ignatius miracula non egit: Si Orlandini, ceterorumque nouissimorum; ergo fidem meam Nigronius non ableget, sed Tusque Caracciolum, & Tusum testes nō appellet. Discat mihi minora credere, qui illi suisque maiora credere non recuso. Cum denique hoc mirabile non sit, alium alio in inuestigandis veterum monumentis, vel diligentiorem, vel certè fortunatiorem plerumque existere.

« Quod mihi diuino munere datum fuisse,
« non obscurè, vt humanissime, Caraccio-
« lus ipse significare dignatus est, epistola
« ad me data sub anno 1612. qua gratias
« Deo refert, quòd meo labori propitius
« annuerit, multaque sub ruina veterum
« temporum, vel sub modio religiosæ hu-
« militatis latentia, mea conquisitione in
« lucem dederit. Ita censuit Caracciolus,
« cui specialiter meæ reuisendæ historiæ in-
« iunctum est opus; vnaque cum alijs gra-
« uissimis Patribus eam approbauit, non
« falsa opinatione deceptus, sed validissi-
« mis ductus rationibus, post codices exa-
« ctè collatos; qui consulto interea apud
« nos asseruantur aptiori tempore propo-
« nendi.

Ad §. 17. Iulij responsio.

52. Multa mihi sunt hoc loco dicenda, quia multa sunt à Castaldo dicta, quæ vel interpretatione, vel moderatione, vel cõfutatione indigent. In aliquibus concordamus. Ac primum conuenit inter nos, quòd nec ipse mihi, neque illi ego fidem tribuere cogimur, in omnibus quæcunq; dicuntur, tanquam alteri Pythagoræ; cuius discipuli quærentibus in disputando, quare aliquid ita esset, respondere solebant, *ipse dixit*: quemadmodum memoriæ posterorum post M. Tullium & Quintilianum S. Hieronymus, Theodoretus, Ambrosius & alij mandauerunt. Sed vterque ab vtroque nostrum exigit, vt credatur dicenti propositiones fultas probabili fũdamento veritatis. Equidem, quod ad me attinet, R.D. Castaldo, vt viro probo ac religioso, qui nulla ratione de industria mentiri velit, fidem habere debeo, & habeo in omnibus, quibus vel manifesta veritas non repugnat, vel sententia probabilior non obsistit. In re controuersa inter nos hoc tempore, arbitratur conscientia mea id, quod de B. Ignatio scripsit, eum sine probabili fundamento scripsisse. Quã ob causam optaui magnopere, vt codices, quos asseruari tradit in tempus opportunius, in hac epistola loco & tempore opportunissimo, exposuisset; quorum luce veritas fortasse de tenebris nostrarum dubitationum emersisset.

Cic. l. 1. de nat. deor. Quint. l. 11. c. 1. S. Hie. præf. ep. ad Gal. Theodor. l. 1. de curat. Græc aff. S. Ambr. l. 1. offic. c. 10.

53. Alterum, in quo conuenimus est, posse alium alio feliciorem esse in historia scribenda, rebusque inueniendis, vel incuria prædecessorum neglectis, vel obrutis vetustate. Quinetiam addo ipse scriptorem eundem progressu temporis posse inuenire, quod antea fugerat, & locupletiorem dare secundam editionem, quàm dederat primam. Hinc à sapientibus iactatur prouerbium, *Secundæ curæ meliores*. Fateor me in eorum esse numero, qui secundam editionem fecerunt ditiorem: spero in eodem fore Castaldum; cum ad secundam editionem adhibebit calamũ: ijsdem adnumerandus est Petrus Ribadeneira, vt demonstrabitur. Quòd autem dixerim, Caracciolum & Tufum non meminisse petionis Ignatianæ, non ideo dixi, quòd non posset Castaldus aliquid nosse, quod illi ignorauerint: sed quòd, cum Castaldus illud sine vlla probatione dixerit, si eorum accessisset auctoritas, facta fuisset illa narratio probabilior: quæ sine illorum assensione, ac sine vlla noua Castaldi probatione in hac epistola, restat in eo statu, vt eam Societas Iesu falsam existimet. Præsertim cum à fide digno Religioso consanguineo Episcopi Tufi, cui Episcopus id dixit, intellexerim, Episcopum ipsum valde solicitarum ad eam rem in sua historia inserendam, præcisè renuisse, quòd falsam putaret: Caracciolum iam scripsisse, quæ extant, cum hæc congressio duorum Beatorum inter aliquos iactari cœpit. Si enim res perspicua & vulgata fuisset, vterque scripsisset. Quamobrem ratiocinatio, quam in me iaculatur, non ferit; quia diuersa valde ratio. Assumit quædam in ea, quæ manifestò falsa sunt, proinde ferat æquo animo, vt à me pro veritate refellantur; & feret sanè, si legerit apud S. Hilarium: *Neque aliter veritas intelligi potest, quàm si falsa ea esse, quæ veritati obiecta sunt, detegantur.*

S. Hil. l. 5. de Trinit.

54. Primum quod sumit, iudicio meo à veritate discrepans est, Ribadeneiram omnia quæcumque pertinent ad B. Ignatium

tium nouisse, quoniam ab anno XIV. ætatis suæ lateri B. Patris adhæsit: & omnia quæ vndecumque nouerat, mandasse litteris in priorib. vitis. Quòd mãdauerit litteris, quæ viderat audieratque à viris fide dignis digna memoria, certissimum est, quoniam hoc est historici probi officiũ. Quòd omnia quæcunque audierit, euulgarit, nõ est verum; quia multa narrari audierat; quæ, quòd sibi nondum adeò certa erant, vt vulgari mererentur à viro prudenti, atque in hac re nimis fortasse religioso, subticuit. Atque hoc ipse fatetur in præfatione præfixa vitæ primæ Neapoli editæ anno 1572. his verbis: *Quæ verò incertis auctoribus, aut non satis locupletibus dici poterant, ea ne scribenda quidem putauimus.* In vita verò secundo edita 1586. (de qua sermo longior erit postea) in præfatione ad candidum lectorem, reddens rationem primæ editionis, & recensens quæ præstitisset, ait: *Alterum, ne copia rerum, quæ in tam feraci argumento multa, magna, & variæ se offerebant, lectorem onerarem: sed potius habito delectu, ex tot tantisq; virtutum exemplis, quædam illustriora tantum excerperem, & vel ad permouendos animos ad pietatem, vel ad Societatis nostræ cursum explicandum aptiora.* & paulò post: *Ex hoc certe meo consilio factum est, vt nonnulla prætermitterem, quæ incerta mihi, certa alijs videbantur* &c. Ecce quam clarè asserit in prima editione, se non omnia dedisse in litteras, quæ nouerat, quæque audierat.

Ribad. præf. vitæ an. 1572.

Id. præf. vitæ an. 1586.

55. Iam vero videamus, an in secunda editione anno 1586. omnia dixerit, quæ sciebat. In eadem præfatione ad candidũ lectorem, subnectit iam rescriptis, hæc quæ sequuntur. *Cum P. N. Claudij Aquauiuæ iussu ac voluntate libellum hunc recognoscere, & typis rursus mandare vellem, multa mihi necessario addenda iudicaui.* Enumerat statim quæ adiecerit. *Primum noua quædam, quæ post libellum excusum, grauissimi viri & Ignatio familiares, & ante societatem conditam intimi necessarij, quasi testes oculati, de ipso Ignatio nobis retulerunt.* Cape lector, nouarum rerum hãc historicum habuisse cognitionem. Id mihi quoque contigit lecta vita Philippi Archinti primum Episcopi Salutiarum, post Archiepiscopi Mediolani; inter quem & B. Ignatium Romæ, magna necessitudo, & multa negotia intercesserunt. Inde aliquid hausi, quod historici nostri posteritati non tradiderunt. Sequitur Ribadeneira: *Tum alia, quæ dubia mihi antea erant, & diligenti postea inquisitione inuestigata, certa esse comperi.* Obserua hæc quondam incerta illi, & ob id omissa in prima vita, nunc eidem certa publico dari. Iam tertium genus additorum accipe: *Deinde etiam nonnulla dicta factaq; Ignatij adieci, quæ ad sanctissimæ vitæ disciplinam pertinent, & ad præstantem alios gubernandi prudentiam.* Ceterùm, ne in hac quidem secunda vita, omnia cognita scripsit. Hinc paulò post subdit: *Multa tamen reliqui & præsti* &c. è quorum numero sunt, quæ in tertia vita compendiaria in vulgus emisit, de qua dicam, vbi sermo incidet de miraculis. Quinetiam Io: Petrus Maffeius, post primam Ribadeneiræ editionem, ab Euerardo Mercuriano quarto præposito Generali, iussus est scribere vitam eiusdem B. Ignatij, non ideo vt stylum cultum atque elegantem ostentaret, quod in alijs scriptionibus præstare potuit, (si mens ea fuisset, quod nõ arbitror) & iam præstiterat; sed vt adderet ea, quæ Ribadeneira omiserat, & Euerardus digna posterorum scientia putabat, quemadmodum ab Sacchino & alijs accepi; ac video nonnulla fuisse vel adiecta, vel adiunctis seu circumstantijs explicatiora prodijsse.

56. Porro familiaritas assidua Petri Ribad. adolescentis cum Ignatio, ponderata tanquam aliquid magnum à Castaldo, non tanta fuit, vt omnia quamuis secretissima per eam ille resciuerit. Non erat sapientis senis, in aures adolescentis infundere arcana omnia pectoris, visiones, reuelationes, miracula, & eius generis alia, quæ ne senibus quidem aperuit. Propterea Petrus in eadem præfatione cum debita moderatione loquitur dicens: *Propter hanc igitur diuturnam consuetudinem & familiaritatem, non solum exteriora & aperta cum multis, verum etiam interiora & recondita quædam Ignatij cum paucis, ex ipso sæpè cognouimus.*

Io. Petr. Gloss. vit. Phil. Arch.

exponit lector vocem illam, *Quadam*: ex quo procliue est inferre, nõ omnia illi patefecisse: perinde potuit postea venire in cognitionẽ aliorum, quæ tum ignorauit, cum primam vitam scripsit.

57 Iam vero interrogationi armatæ dilẽmate, qua Castaldus à me sciscitatur, vtri fides habenda sit, Petrone, qui negat Ignatium miracula patrasse, an Orlandino & alijs, qui affirmãt; respondeo mirari me vehementissimè, quòd id Ribadeneiræ tam confidenter affingatur, quod adeo clarè atq; perspicuè falsum est: quo meo responso infringitur alterũ cornu dilẽmatis, atq; vt Scholasticorũ legem in diluendis obiectis obseruem, pernego Petrũ negare ab Ignatio patrata miracula, sed affirmo affirmare. Multus quidem est Ribadeneira, tum in prima, tum in secunda editione vitæ, in probando sanctitatem non esse miraculis præsertim publicis, & ad vulgi gustum metiendam: quòd non minora miracula sint, quæ occultè fiunt in animis, quàm quę manifesto in corporibus. Noluit prætcrea iactare ac venditare miracula, quæ illi non certissima constabant, aut quæ nondũ erant legitimè comprobata. Atq; hanc ipsius modestiam & cautionem Ludouicus Granatensis meritò laudauit: imitatus quoq; est Maffeius, qui caput XIV. tertij libri, non inscripsit, *De miraculis*, sed adscripsit hęc verba: *Mira quædam de Ignatio*. Quòd si virtus Ribadeneiræ, calamum eius moderata est, cur illi obesse debet adeò, vt eius fides, atque historiæ ab eo scriptę veritas in dubiũ reuocetur? contra omnia iura est, vt quis ex benefactis trahatur in periculũ; atq; ex officio suo referat damnũ; & vnde præmium merito expectabat, inde repetat dispendiũ. ita definiunt Imperatores in iure ciuili, & in canonico Pontifices. Quapropter suscipiam hoc loco sodalis, vel potius patris mei defensionem ardentius, quàm si me defendam: monitus à vetere Poeta:

Omnes bonos bonasq; accurari addecet,
Suspicionem & culpã, vt ab se segregent.

Item à S. Basilio, quem pluris facio: *Ad criminationes nequaquam silere oportet; non vt nos contradicendo vindicemus, sed ne mendacium cursu prospero progredi, deceptosque in damno hærere permittamus.*

Lune ex liberalit De re iudicata L. Si seruus §. quod verò de furtis c sanè dilecto derenuntiat.

Plaut. in Trinum.

S Basili. ep. 61. ad cler. Neocæs.

58. Vt igitur cognoscãtur vera esse quæ dico, non negatã Ignatio ab Ribadeneira miraculorum effectionem; neue hæc opinio Castaldi (criminationem nullo modo dicam) quam in legendo Ribadeneira oculus fefellisse videtur, hęreat in lectorib. ipsius epistolæ, illos hortor, vt attentè legant caput vltimum primę vitę; ac primũ illa verba pag. 208. *Sed dicat aliquis, si hæc vera sunt, vt profectò sunt, quid causæ est, quãobrem illius sanctitas minus est testata miraculis, & vt multorum sanctorum vita signis declarata, virtutumq; operationibus est insignita?* His auctor loquitur per prosopopeiã, & sub aliena persona, non ex propria sententia id sciscitatur. Deinde considerãdæ sunt illæ duæ voces, *Minus testata*; quæ non negant omnia miracula, sed multitudinẽ miraculorum. Tum interrogatio est de signis, quæ grandia illa miracula designãt, quæ faciebãt Apostoli, dicta quoq; prodigia; cuiusmodi erant excitationes mortuorũ, sanationes repẽtinæ cæcorum & claudorum toto spectante populo, quibus vulgus existimat cõtineri mensuram sanctitatis. Paulò post, p. 209. hæc habet: *Mihi vero tantũ abest, vt ad vitã Ignatij illustrandã, miracula deesse videãtur, vt multa eaque præstantissima iudicẽ in media luceversari* His dictis recenset, quæ sibi miracula videantur, non imperitæ plebis, sed prudentum iudicio. Non longe à fine capitis cursim recẽset miracula, etiã advulgi opinionem, narrata in historiæ decursu. *Itaq;*, inquit, *quæ narrata à nobis supra sunt, quamquam sine miraculo fieri multa non poterunt, vt tot dierum ieiunatio, viribus nihil omnino destitutis: octo dierum raptus, & à sensibus destitutio: tot tantaque rerum diuinarum illustrationes: P. Simonis periculosè laborantis sanatio, & sanitatis futuræ prædictio: Dæmonis expulsio naturæ viã modumque exuperans* &c. subijcit quoque sanitates multis patribus restitutas, multasque prædictiones rerum futurarũ; quas fuisse veras probauit euentus. Eadem

Ribad. l. 5. vitæ c. vlt. 1572.

dem omnino verba scripta leguntur in secunda editione anni 1586. pag. mihi 335. 337. 344. in qua sanitates & prædictiones, quòd eas suis locis narrasset, in compendium redegit, de integro cum lectoris molestia repeteret. Nec dubito, si totum caput legisset Castaldus, quin aliter de miraculorum effectione sensisset, atq; scripsisset. Quã ob causã iure cautũ est, vt antequã iudicetur, aut respondeatur, lex tota perspiciatur, & nõ tantũ vna aliqua particula legatur. Equidem eo maiori admiratione afficior, videns negatã Ribadeneiræ cognitionem miraculorum ab Ignatio Dei gratia factorum, quo clarius ipse Castaldus in hac epistola scribit, omnes reuelationes B. Ignatio factas, & enumeratas à Francisco Ribad. nostro (vbi differit de reuelationibus B. Teresiæ) fuisse omnes exscriptas ex Ribadeneira. Vtrũ autẽ reuelationes sint ordinis naturæ, an supra naturam, definiat ipse Castaldus, qui Theologus est. Non effugerũt hęc miracula Ignatio tributa, oculũ Simonis Lithi Misseni Caluiniani hæretici acutum atq; apertum ad criminandum B. Ignatium, & Ribadeneiram, cuius vitæ scriptorem, ipsamque vitam; quam ter quaterue oppugnauit iustis editis voluminibus. Hic in prima inuectiua (vt refert Iacob. Gretserus noster, qui quater eam propugnauit, integris item libris, silentiumque tandem imposuit) dixit inter alia, viginti circiter ab hinc annis, caput nonum libri secundi, esse *plenum miraculorum*. Et in tertia inuectiua, non negauit facta, sed irrisit vt falsa. Alius hæreticus sine nomine, in epistola septima Iesuitica, qua certissima mẽdacia cõtinẽtur, vt idem Gretserus refert, vt cetera omnia Catholicorum miracula subsannat, sic nominatim hęc à Ribadeneira narrata: atque ita exorditur: *Miracula quædam Ignatij ex Ribadeneira & Maffeio enumeremus.* & postmodum enumerat nouem, & singillatim multis blasphemijs hęreticorum more ac lingua proscindit: cuius audaciã retudit idẽ Gretserus anno 1600. Hic refellens calumnias iteratas illius Simonis Lithi, in secunda apologia, edita in Germania, an. 1601. & à me Genuæ ac Mediolani lecta, per occasionẽ ab hęretico datã recẽset ex ipsa Ribadeneiræ vita, nec non ex tabula æneis typis depicta, opera eiusdem Petri Ribadeneiræ, miracula XXIX. per B. Ignatium viuum patrata. Placet referre verbis ipsius Iacobi, in gratiam eorum, qui secundam eius apologiam non habent ad manum. 1. Grauiter ægro tanti, S. Petrus apparens sanitatem reddit. 2. Septem diebus in perpetua extasi perstitit: sæpè inter orandum à sensibus abstrahitur. 3. Maximarum rerum scientia momento pænè temporis diuinitus ei infunditur. 4. Aliquotics à terra sublimis miro splendore radiat: Matre cum puero Iesu adueniente, ea statitatis dono ornatur. 5. Senator Venetus cælesti iussu admonitus, in publico cubantem noctu conquirit, & in domum suam adducit. 6. Quendam, qui se præ desperatione suspenderat, ad dolendum de peccatis suscitat. 7. Mulierem arido à multis annis brachio, ipsius abluentem pannis sanat: ab altera dœmonum spectra fugat. 8. Morbo caduco à multis annis laborantem suo contactu sanat. 9. Diuturnam à femina talem precibus abigit. 10. Moribundos à morte reuocat. 11. Multos energumenos à dæmonibus; ægros ab incurabilibus morbis liberat. 12. Dum febre quotidiana laborans, sæpè in campo concionatur, eius verba trecentos passus distinctè audiuntur, 13. Multa futura prædicit, multa occulta & absentia diuinitus cognoscit. 14. Obscurum eius ægrotantis cubiculum diuinus splendor illustrat. 15. à Deo Patre commendatũ cum socijs, Iesus in tutelam recipit. 16. Animam B. Hozij luce clarissima circumfusam, cælum intrantem videt. 17. Iudæũ obstinato animo Christiana sacra respuentem, tribus tantum verbis repente conuertit. 18. In SS. Eucharistia Iesum aliquoties videt; cælestes SS. Choros intuetur. 19. eius facies diuino lumine splendens, sæpe à diuersis cernitur. 20. Cælestes sæpenumero voces sacrificans audit: multa de S. Trini-

L. inciui le. ff. de legib.

Infra §. 30. n. 105.

Fran. Rib. tr. de reuel. B. Teres. c. 1.

Iac. Gretz. apol. 1. l. 2. c. 3.

Id. Apol. aduers. Lismaum. c. 10.

Id. Apol. 2. adu. Lithum. l. 5. ad fin.

« S. Trinitatis mysterio, Deo reuelante co-
« gnoscit, 21. Orans, sacrificans, iter faciens,
« grauibus de rebus disserens, Christum ac
« B. Virginem sæpissimè videt. 22. Dæmo-
« nem ad se tentandum venientem frequē-
« ter baculo per contemptum abigit. 23.
« Suæ splendore faciei grauiter ægrotantē
« sanat, & cubiculum obscurum illustrat.
« 24. Dæmones sæpè Laureti apparentes,
« post multa remedia frustra ab alijs susce-
« pta, per epistolam fugat. 25. Quidam in-
« cendium illi per iniuriam imprecatus, su-
« bito ipse incendio extinguitur. Duorum
« mortem ei intentantium, vnus repente
« obrigescit, alter diuina voce terretur. 26.
« Multis se post-mortem sæpè ostendit, eo-
« demque, quo obijt temporis momento,
« magna collucens gloria apparet. 27. Cor-
« pus illius effossum multis luminibus ful-
« get. Cælestis harmoniæ concentus sæpè
« audiuntur. 28. Multas in partu à vitæ di-
« scrimine; multos à pestilentia, & grauibus
« morbis tentationibusque eripit. 29. Dæ-
« moniacos liberat: cæcis visum, surdis au-
« ditum, moribundis salutem reddit.

59. Quod autem ego scripsi in Ascelicis Castaldum falsa opinione deceptum, protestor id sine vlla contumelia, vel iniuria dictum. Quamuis enim decipere de industria computetur in sceleribus: tamen decipi, si diligentia præscripta à recta ratione adhibeatur, non est culpa voluntatis, sed error intellectus sine noxa, qui in humanis miserijs numeratur. *Opinione fieri potest, vt mentiamur*, ait Aristoteles: & S. Thomas communiter probatus, eijcit opinionem à societate virtutum intellectus, quia per eam possumus falsum opinari. Quamobrem idem rectè definit opinionem falsam, esse defectiuam operationem intellectus tamquam monstrosum partum, interdum ex defectu alicuius principij cognoscendi, sæpissimè ex indebita ratiocinatione. Hinc non malè M. Tullius, opinationem, (quam ab opinione non puto differre, nisi vt actum ab habitu) scripsit esse, *iudicare se scire quod nescit*. Cum autem Castaldus id se opinaretur scire, ac verum esse, quod postea fal-

Ar. l. 6. eth. c. 3.
S Th. 1. 2. q. 57. ar. 2. ad 3.
Id. de malo q. 16. ar. 6.

Cic. Tusc. 4.

sum esse deprehenditur, non potest illi vitio verti, sed errori, siue opinioni erranti, seu falsæ, quam illi domesticus aliquis rumor impressit. Prudenter Sacchinus noster, scripto Ioannis Polanci munitus & adiutus, probabilissima coniectura peruenit ad fontem erroris, ratus eam opinionem exortam ex colloquijs cum Carafa collatis familiariter, atque ex aliqua dissensione, quæ sine odio intercessit, vt inter amicos euenire docet S. Augustinus. Huiusmodi potuit esse disputatio de vtriusque Ordinis profectione, ac de vtroque coniungendo, quæ diu mansit, vt refert idem Sacchinus. Cuius dictum confirmare placet testimonio sæpè memorati Ribadeneiræ testis auriti; qui anno 1620. ad me scripsit epistolam die 20. Nouembris datam (quam paucis ante mensibus Romam misi, vt in archiuo asseruaretur, ob emergentes necessitates) in qua hæc sunt verba ex Italico idiomate conuersa: *Mense Aprili anni 1545. P. Iacobus Laynez Venetijs Romam reuersus, me præsente, proposuit B. P. Nostro Ignatio, nomine grauiorum patrum Theatinorū, qui Venetijs morabantur, vt reciperet ipsorum Ordinem in societatem, & ex duobus corporibus vnum efficeret ad gloriam Dei &c. B. Pater, vbi rationes quasdam attulisset, respondit indicare se, maius Domini seruitium esse, vt vtraque Religio perseueraret in eo instituto, quod ille cuique dedit.* Itaque cum Castaldus illud Beatorum colloquium non accepisset à fide dignis, qui interfuerint, vel proximi fuerint illis primis, sed ex fama, quæ manauit ad posteros incerto auctore, causa fuit illi falsæ opinionis. Etenim eiusmodi fama, (quæ à Quinctiliano definitur, *Rumor incerto auctore*; & in iure ciuili dicitur, *Falsus rumor*, & *Vana populi vox*) si non sit scripto aliquo constituta, non solum in via vires & opes acquirit, vt flumen, (quemadmodum Poetæ cecinerunt) sed etiam veritatem miris modis adulterat & corrumpit. Hinc S. Bonauentura: *Falsitas frequentissime rumoribus inest.* & Tertullianus reddens rationem, cur Virgilius *Fama malum* dixerit: *An quia plurimum mēdax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacij vitio est,*

S. Aug. l. 4. confess. c. 8.

Pet. Ribad. in epi. 1620. ad Iul. Nig.

Virg. l. 4. Æn. Ouid. l. 3. de art. am. S. Bon. p. 1. Spec. par. 5. c. 5. Tert. apol. c. 17.

detra-

detrahens, adijciens, demutans de veritate. expertus recordabitur Castald. quæ optando dicuntur, enuntiari vt facta per eum, qui rem minus fideliter auribus exceperit; proinde interrogationes, pro enuntiationibus: dubitationes, pro definitionibus: consultationes, pro decretis vulgantur. Itaque iure Tertulianus post illa, sapienti est auctor, ne famæ, quæ nomen incerti est, credat.

§. XVII. D. CASTALDVS.

"60. QVid autem potuerit Ignatij animũ
" inclinare ad nostri Ordinis institutũ
" suspiciendum & suscipiendum, omnino nõ
" constat, fortasse tamen hæc quæ subnectam
" prudentissimũ virum cõmoda mouerunt.

Ad §. 17. Iulij responsio.

61. Verba illa, *Omnino non constat*, mihi iam seni Grãmaticorũ Logicorumq; regulas obliuiscenti faciunt hunc sensum: *Plane ac prorsus incognitũ est.* Quod si sic est, ipse quoq; audacter omnino improbo ac repudio, quod nobis obtruditur in verbis sequentibus. sin autem ex errore typographi, particula negatiua postposita est, & excudendum erat, *Non omnino constat*, mihi videtur significare, auctori rem esse dubiam, quia non prorsus cognita est: & si sensum hũc probat Castal. laudo aduerbium *fortasse* positum, quod vt alibi scripsi, prudentiam arguit, quia prudẽtiæ partus, testimonio Aristotelis: quam ob causam Elias Cretensis mirifice commendauit S. Greg. Nazianzenum hoc aduerbio vsum opportune. Quamquã vtrouis modo prolata, declarant auctorẽ diuinare potius quam narrare, quæ subdit. & quoniam ingredimur grauem admodum, & insigniter lubricam disputationẽ, oportet à me locari fundamentũ, quo meum responsum innitatur, est autem sequens, quod in multis erit vsui. Formauerat B. Ignatius iampridem, ab initio vsq; suæ conuersionis, ex illustrationibus mentis potissimũ, quas Minoressæ diuina liberalitate habuerat, ideam quandam nouæ Religionis, quam vtilissimã existimabat Ecclesiæ necessitatibus illius æui, quod prodigiosa hęresum colluuies sese efferebat in mundum conceperatq; illã ipsam formam mente, quam postea tum in regula Pontifici oblata, tum in constitutionibus à se scriptis, tum in praxi, dum vixit, expressit. Propterea simul de socijs cogitare cępit, quos in Hispania, Gallia, Venetijs quæsiuit. & quoniam finem præstituerat sibi salutem animarum (præter propriam, quæ est necessitatis) Gentilium, Hęreticorum, fidelium; & cum consequi se non posse videret, sine scientia doctrinarum; ideo se grandem natu studijs penitus dedidit; & socios omnibus disciplinis erudiri curauit. Insuper eos probauit illis experimentis exercitiorũ peregrinationum, mendicationis, quæ postea voluit esse tironũ probationes: excreuit illis ministerijs spiritualibus, quæ in regula probanda proposuit: assuefecit illi modo tum viuendi, tum gubernationis monarchico, quem in societatẽ introduxit. Et licet in executione pependerit aliquo modo à socijs, quorum assensus erat necessarius, vt hæc religio stabiliretur, tamẽ vnus Ignatius architectus fuit prototypi spiritualis huius ædificij; magister pręclari operis: sator vitis huius fructuosæ, quæ palmites suos extendit vsq; ad mare: socij nouẽ administri coadiutoresq; fuerunt. Quod autem eadem esset forma expressa in regula, constitutionib. & praxi, quæ idea mente concepta, manifesto intelligimus ex optima regula iuris consultorum iuxta quam Actus sequens præcedentem intentionẽ declarat.

62. Hanc ideam B. Ignat. nõ diligebat modo, sed etiam ardentissime amabat; tũ quia naturali instinctu nostra opera & inuenta, quæ sunt ingenij partus, diligimus; vt de omnibus agentibus scripsit, & vere Aristoteles. Tum quia eam delineauerat penicillo quidem ingenij sui, sed coloribus à Sancto spiritu infusis, qui cum pulchriorem reddebant; amabiliorem, digniorem q; conseruatu. Ex hac duplici amoris radice factum est, vt altissime in eius animo insederit, atq; infixa fuerit adeo, vt destinati propositi tenacissimus euaserit. Quin etiã in ea deliberatione, perspicue atq; expresse diuino instinctu interdixerat sibi ingressum in aliã quãlibet religionem: quia videbat sub aliena potestate se non posse suam formam iuuandi proximos quaquauersus explicare. Testatur id Maffeius his verbis: *Multa ac diligenti prece & ieiunio explorat numinis voluntatẽ: ac diu perplexus,*

Supra §. 10 n. 29. Ar. l. 2. rhet. c. 31. Elias Cret. or. 1. S. Nazian. n. 4.

Inst. de rer. diuis. §. Pauonem. l. cum qui. C. ad L. Iul. de adult.

Ar. l. 4 Eth. c. 1. & l. 1. Rhet. c. 11.

Maff. l. 1. vitæ c. 16.

plexus, in eam deniq; mentem seſe diuinitus plane ſenſit impelli, vt ſine dubitatione ſtatueret, primū operam ſuam, qualis qualis eſſet, nequaquam intra vnius familiæ cancellos includere. Quod intellige de familijs iã inſtitutis, vbi ſub eſſe oporteret, & ad aliorum viuere voluntatem: nõ de familia condenda opera ſua, cui finẽ ipſe pręſcriberet, ſpiritũ infunderet, & quoad viueret pręeſſet. Quamobrẽ incredibile eſt, vt an. 1536. Theatinorum Ordinem vſq; eo probaret, vt ſuis cogitatis, inuentis, deſtinatis, & ideæ conceptæ atq; inceptæ explicari, tam facile mutatus anteferret. Artifices qui vt dixi, amant opera ſua, nõ ea deſerunt, ſed tuentur; vt omnes fere priſci patres ad probationem diuinę prouidentiæ docent. Non n. amantis & ſapientis eſt, res facere & deſerere. ſufficiat è Græcis vnus Euſeb. Cęſar. *Pater omnis atq; auctor ea, quæ genuit, aut fecit, diligenter ſtudet conſeruare; quæ opprimere poſſunt expellens; quæ vtilia ſunt, ſuis acquirens.* è Latinis S. Ambroſius: *Et quis operator negligat operis ſui curam? Quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putauit?* Itaque perſtabat vir conſtans in decretis ſuis exequendis. De quibus Cardinalis à Mõte in relatione ſępe producta, ait: *In illis conſtanter vſq; ad optatum finẽ perſeuerauit.* Dicam amplius: illum ordinem non plane probabat Ignat. Nõ quidem vir prudens ac pius reijciebat, quod bonus non eſſet, cũ ſciret ab apoſtolica ſede confirmatum, optimis legibus temperatum, Eccleſiæ Dei fructuoſum: ſed exiſtimabat poſſe alium excogitari Eccleſię catholicę vtiliorem, ſpectata præſentis æui neceſſitate: arbitrabatur nec fini, quem ſibi præfixerat congruere; nec ſibi ſocijſq; ſpectantibus illum finem conuenire quã ob cauſam omnes Ordines excluſerat. Vt enim optimus calceus, non eſt omnium pedibus aptus, ſic non omnis Religio, quamuis optima, eſt omnibus Chriſtianis idonea. Quapropter non omnes vnam aliquam adamant & complectuntur, ſed hi ſolitariam, illi verſantem cum hominibus, alij aſperiorem, non nulli mitiorem, non pauci ſtudioſã alienæ ſalutis. Id eueniſſe videmus in ipſo Saluatore atq; eius Præcurſore: quorum neuter alterius viuendi rationẽ, quanquam valde diuerſam, reprehendit: neuter, relicta ſua, ſibi arripiendam illã duxit: neuter ſuam alteri præferens verbo, diſcipulos ab altero abduxit; vt obſeruat Hadrianus. Bona vtraq; ſed non vtriq; ob finẽ ſibi propoſitum accomoda. Atq; vt omnes habeant idoneam, & ſuis viribus ac propenſionibus aptam, nec vlli deſit oportunitas ac via cõſequendæ Chriſtianæ perfectionis, diuina prouidẽtia voluit in Eccleſia ſua tantã multitudinem ac varietatẽ religioſorum ordinũ ſplendeſcere. De qua S. Bernard. & Petr. Bleſenſis illi ætate fere æqualis, putant prophetice ſcriptũ à Dauid: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Hinc illa eiuſdem Bernardi ad Guilelmum Abbatem præclara, cum de hac diuerſitate Ordinũ ageret, qui in vnam charitatẽ conueniunt, & vt dicebat Bleſenſis, harmoniam efficiunt, vt in cithara multitudo varietaſq; chordarum. *Quid ergo? Ciſtercienſis ſum: damno igitur Cluniacenſes? abſit; ſed diligo, ſed prædico & magnifico. Cur igitur, inquis, illum non tenes, ſi ſic laudas? Audi propter hoc quod Apoſtolus ait, Vnuſquiſq; in ea vocatione, in qua vocatus eſt, permaneat. Quod ſi quæris, cur & à principio non elegerim, ſi talem ſciebã? reſpondeo propter id, quod rurſus ait Apoſtolus; Omnia mihi licent, ſed nõ omnia expediunt. Non quod ſcil. Ordo ſanctus & iuſtus nõ ſit, ſed quia ego carnalis eram venundatus ſub peccato, & talem animæ meæ languorem ſentiebam, cui fortior eſſet potio neceſſaria: & diuerſis morbis diuerſa conueniunt medicamenta, &c.* Exempla ſubijcit à medicina, in qua, qui quartana febri laborant, alijs cibis & medicamẽtis vti iubentur, quam qui tertiana. *Deniq;* inquit, *ſi requiratur etiam à me cur cum omnes Ordines laudem, omnes nõ teneo: Laudo n. omnes & diligo, vbicumq; pie & iuſte viuitur in Eccleſia. Vnum opere teneo; ceteros charitate.* Idem fere dicturus erat B. Ignatius an. 1536. ſi eiuſmodi fuiſſet interrogationibus prouocatus: Non eligo Theatinorũ ordinem Sanctum & obſeruantem, quoniam à Deo ſentio me vocatum ad proximorum ſalutem, omnibus modis procurandam: & video neceſſitatibus Eccleſiæ præſentibus, Ordinem à me cogitatione conformatũ, & inchoatum fore vtiliorẽ. Quid quod Ignatius obſeruauerat aliquid in ordine Theatinorum, quod non probaret? Innuit Ioan.

Hadr. Hadrian. l. de diu. inſpir. c. 7.

Euſeb. Cæſar. l. 8. de prapar. c. 5.

S. Ambr. l. 1. offic. c. 13.

S. Bern. apol ad Guiliel. Abb. Petr. Bleſ. ep. 97. & in inuectiua. Pſ. 44. 10.

1. Cor. 7. 24.

1. Cor. 6. 12.

1. Cor. 10. 22.

Pola-

Polancus referente Sacchino vbi sermo est de congressu Carafæ & Ignatij. sed ego aliunde habeo, veritũ Ignatium, ne ille Ordo diu duraturus esset, nisi rationem viuendi mutasset, descendens de monte solitudinis.

Ribad. l. 5. c. 10. Inter Ignatij sapiẽter dicta refertur à Ribadeneira hoc ad verbum: *Quæ Religiones nullis proprijs reditibus, sed quotidianis eleëmosinis viuũt eas dicebat, neq; perpetuas, neq; in suo instituto permanentes esse posse, nisi aut vitæ asperitate, aut insigni aliqua vtilitate, hominum beneuolentiam in se allicerent & benignitatẽ excitarent. Istæ enim duæ res, hominum animos plurimum commouent, & vel admiratione vel fructu ad liberaliter tribuendum inuitant.* Equidem ab Ribadineira per litteras sum percontatus, num hunc suũ sensum Ignatius patefecisset Cærafæ Cardinali, vt ferebatur. Respondit ille in epistola, quã *supra § 16 n. 59.* superius commemoraui, per hæc verba: *B. Pater noster nõ dixit neq; scripsit illã sententiam, quã refero, cardinali Carafæ, sed vni è nostris patribus, loquens de solitudine patrum Theatinorum, significans non duraturam Religionem, nisi mutarent modum viuendi, & proximorum vtilitatem procurarent, vt postea fecerunt.* Hęc ille: vnde inferas, nullam habere potuisse propensionem ad Ordinem Theatinorum patrum Ignatium, qui existimabat eam Religionem, nisi statum mutaret, non duraturam.

§. XVIII. D. CASTALDVS

" 63. Fvlgebat ea tempestate nostra Re-
" ligio legum nouitate, insigniũ vi-
" rorum virtute, sanctitatis nota spectabilis.
" Templi nitor, solitudinis amor, paupertatis
" studium, cultus diuini puritas Venetorũ a-
" nimos adeo nostris deuinxerant, vt eorum,
" & præcipue Io. Petri Carafæ consilio, gra-
" uiora animarũ negotia disponerentur. No-
" strûm igitur probitatem propius cum olfe-
" cisset Ignatius, nec ea ambitionis face vrere-
" tur, vt vellet nouæ prolis parens appellari,
" potuit facile in illam mentem incidere, vt
" nostris legibus adstrictus Deo dicaretur.

Ad §. 18. Iulij responsio.

64. Sex inuitamenta numerantur hic à Castaldo, quibus putat Ignatium allici potuisse ad ordinem suum. Ego contra certũ habeo sanctas enumeratas illecebras virib. caruisse, quibus constantissimũ virũ de vitæ susceptæ atq; initæ proposito graduq; dimouerent. Prolectare alios potuerunt, ac traxerunt quos nõ aliò vocabat Deus: Ab Ignatio nequidquam eblandiebantur, quòd hic crederet ac certo sciret, se habere quædam retinacula illis inuitamentis paria; quædam ornamenta diuersa, seu contraria; quædam deniq; quæ ipse rebatur esse illo tempore vtiliora Ecclesiæ ministeria, iã manu teneret, illi carerent. Inuitissimus trahor in hanc disputationem, in qua vitari non omnino potest aliqua comparatio, quæ solet esse odiosa; sed cogor à Castaldo, qui propositis his sex inuitamentis, me propemodum lacessiuit, vt ea discuterẽ singillatim. Primo loco ponitur *fulgor Religionis nouæ.* fateor eiusmodi fuisse, qui capere atque illuminare posset multorũ oculos, in tenebris vitæ sæcularis, quemadmodũ fecit, inuitans & introducẽs in portum solitariæ illius sanctæq; vitæ non paucos mortales, in hoc mundi naufragijs infami salo fluctuantes, tamquam Pharus quędam tunc Venetijs ac Neapoli collucẽs. At non negabit Castal. fulgorem illum parum longe lateq; tum fuisse diffusum cum è duobus tantum cœnobijs, & paucis sodalibus, emicabat: non parem extitisse huic splendori, quo nunc in Italia, numero sodalium & cœnobiorum, nobilitate generis, studijs litterarum, eloquentia sacra, probitate vitæ, ac multitudine Episcoporum quaquauersus aucta clarescit. Plus erat, mihi credat, ille splendor in recessu, quam in fronte: plus Angelis, quam hominibus apparebat. Itaq; parum, aut nihil permouere poterat Ignatium aduenam, in rebus Veneris hospitem, sua negotia curantem, incuriosum in alienis; & qui ferebat in mente Ordinem, quem prouidebat iam iam per totum Orbem diffundendum; & fore breue tempus, in quo pro prædicatione Euangelij, confessione fidei, defensione Catholicæ Religionis in quattuor mundi extremitatibus profuso sanguine purpurascceret.

65. Secundum inuitamentum numeratur, *Nouitas legum.* Non equidem video magnã nouitatem in eorum constitutionibus quas multis post annis, sub Clem. VIII. Pontifice typis dederunt, & accurate legi. Simillimæ viden-

videntur aliarum Religionum regulis. Tria, quatuorue Castaldus obijciet menti meæ, quæ nouitatem illi habere videantur. Primum est coniunctio status monachorũ & cleri sæcularis, de quo multa Episcopus Rufus. At S. Bonauentura scripsit à S Francisco in Ordine Minorum tria fuisse illigata. *Christi virtutum imitationem, contemplationem assiduam, & lucrum animarum*: hoc est vitam eremeticam, cœnobiticam, & clericalem. Nec arbitror alios Ordines, qui cum S Francisco apparuerũt, & mendicantes dicuntur, permissuros vt illis hæc duplex laus denegetur: quoniam eos videmus strenue officia monachorum in choro & extra exercere, ac ministeria clericorum in concionibus, & administratione sacramentorum explere. Itaque Ignatio res noua non erat, qui meditãs nouã Religionem, veterum constitutiones excusserat: & insuper delineauerat Ordinem, qui clericatum cum statu regulari & claustrali coniungeret, vt ex euentu cognitum est, plura clericatus officia & munia complexus, quam Ordo Theatinorum. Secundo loco suggeret fortasse Castald. Paupertatem, quæ nec in particulari quidquam possideat, nec in communi. Verum in eodẽ Ordine Minorum, in cuius aliquot congregationibus vigebat obseruantia regulæ integræ S. Francisci paupertas hæc cernebatur cum hoc auctario, quòd ordo Minorum capax reditruum bonorumq; stabilium possidendorum non est, tum ex regula, tum ex declaratione Clem. V. Papę & aliorum Põtificum, vt propterea dicatur à Bartolo & alijs Doctoribus communiter, esse in fastigio paupertatis & mendicitatis. Ordo clericoruum regularium est huius possessionis capax, vt ipse Castal. confitetur, & in constitutionibus ipsorum est manifestum: nec puto in hac re ab antiqua & primæua paupertate recessisse. Neq; hac paupertate allici poterat Ignatius, tũ quia noua illi nõ erat, quam videbat, & strictiorẽ in Franciscana familia; tum quia ipse in domibus professis, quæ sunt capita Societatis, formauerat animo seueriorem paupertatẽ Minoritanæ simillimam, vt paulo post demonstrabitur. Tertia nouitas videbitur Castaldo, viuere tantum ex oblatis, non ex mendicato. Verum hæc Ignatium mouere non potuit, vt dicam postea cũ de ea re sermo iterabitur.

Rufus. c. 1. hist. S. Bon. in reg. S. Frã. q. 3.

Clem. exiui. de verb. signif. Extrau. Quia quorundam. eod. Bart. l. 1. minoric. d. 1 cap. 1. Castal. c. 4. vita B. Caiet.

Infra §. 18. n. 71.

66. Quarta nouitas proponetur fortasse à Castal. Habitus clericalis retentio, cuius est mentio in diplomate institutionis huius Ordinis: quamque tanti æstimat, vt in vita Pauli IV. bis dicat, societatem nostrã in habitu clericali esse imitatam illorũ Ordinẽ. Non potuit illicere Ignatium ea res, tũ quia sciebat verũ esse vulgare dictum à Clemente III. prolatum; *Habitus non facit monachum*: tum quia in sua Religione constituẽda nullam præuidebat fore difficultatem in habitu clericali retinẽdo; quòd nullo iure vetetur: at quidquid non prohibetur licitum est ex iure. Hanc ob causam numquam dubitauit de hac re, numquam eam in consultationẽ induxit, nullum verbum de ea fecit in regula Pontifici oblata, vt probaretur. Et quod attinet ad imitationem, nisi Castald. probet, non mihi persuadebit: quia rationes habeo non credendi. Primum Ignatius non erat ignarus id fieri posse vt dictum est. Deinde cum Parisijs mente delineabat, & ponebat fundamẽta suæ Religionis cõparãdis socijs, cognitionem instituti clericorum regulariũ habebat nullam. Nam vix ea nata erat, & trima coacta est se Venetias recipere, vbi solummodo domicilium habebat, cum Ignatius Lutetiæ suam societatem inchoabat. Quod si verum est, quod B. Caiet. ad Carafam scribit è domo Neapolitana, referente Caracciolo, an. 1533. In ea vrbe vix de nomine, aut ne vix quidem, noui Ordinis institutũ fuisse cognitam: Neapolitanis ciuibus Patres illos vix de vocabulo esse notos, qui tamen prope aberant Venetijs: quid iudicãdum est de Lutetia, quæ tantũ abest ab Italia & Venetijs? Tertio videmus sæculo XIII. Christia. Religionis Deũ compluribus seruis suis Dominico, Francisco & alijs, inspirasse nouam rationem Religionum, in quibus vt dixi coniungerẽt officia clericorum, cũ habitu & professione monachorũ, euocando quodammodo monachos à solitaria vita in auxilium Episcoporum & cleri ad salutem animarũ. Pariter Deus præterito sæculo XVI. excitauit alios complures seruos

Infra §. 20. n. 76.

Clem. VII. in confirm. Ord Theatinor. Castald. in vita Paul. IV. cap 17.

C. porrectũ. de regular. &c.

Glos. c. peruenit ad nos d. 93.

Caracc. p. 221, 223.

suos,

ſuos, qui diuino inſtinctu ad obſtruēda hæreticorum ora maledica, nouas Religiones inſtituerent retento habitu clericorum: cuiuſmodi octo numerātur in Eccleſia & ego refero in Aſceticis. Quid quòd habitus vtriuſq; noſtrū eſt diuerſus? Nam Theatini alta tibialia geſtant: nos nigra more ceterorum clericorū. Illi togas forenſes ex materia leuiſſima ſub gutture clauſas noſtri non eodē modo in omnibus regionibus induti domū egrediuntur, ſed ſeſe accomodant mori clericorū honeſtorum illius regionis, ex præſcripto noſtrarum conſtitutionum. Hinc fit vt in Germaniæ aliquot prouincijs omnes ferant togas ex panno grauiore apertas ante pectus, largioribus manicis, quā in Italia. In Hiſpania omnes mantelum, ſeu pallium foris geſtent ex panno etiā æſtiuis menſibus quod eſſe religioſioris vitæ habitum docet Card. Baron. ex facto Tertulliani, qui mutata in melius vita, de toga trāſiuit ad palliū. In regno Sinarum eo modo induuntur, quo homines litterati ac doctores teſte oculato Nicol. Trigautio. In Italia, qui ſacerdotio ſunt initiati, palliū geſtant: clerici vero togam ex panno ante pectus apertam. Atq; vt geſtatione palliorum Hiſpani primi patres tulerunt ex Hiſpania, vbi ſacerdotes honeſti illis vtuntur: ſic togarum vſus in clericis manauit è Gallia: vbi ſtudioſi omnes ex lege Vniuerſitatis potiſſimū Pariſienſis, eo modo togati, cū pileo quadrato, foras procedere & ſcholas adire iubebantur. Denique nō erat cur nouitate legū moueretur Ignat. qui ſibi in animo tot nouitates (vt ita more vulgi dicā) deſcripſerat, quas poſtmodū exprompſerat, adeo vt non in alia re vlla plus laborauerit ſocietas, quā in reddenda ratione iſtarum nouitatū ab Apoſtol. ſede probatarum: quas equidē in Aſceticis ſubinde probo ab antiquitate manaſſe, nec non aliorum ordinū ad nos imitatione deſcēdere. Eiuſmodi ſunt, nomen ſocietatis Ieſu, tirociniū bienne, dilatio profeſſionis, tertius annus iteratę probationis, vacatio à choro, eruditio puerorum, repudiatio dignitatum, ſpeciale notum obediendi Papæ ſi ad Infideles miſerit, & his ſimiles.

Iul. Nigr. in Aſcet. com. par. 3 tit. n 20.

Conſt p. 6 c. 5. 15. cong. 6 an. 27.

Card. Bar. t. 2. an. 197.

Nic. Trig. l. 2. exped. Sin. c. 5.

67. Tertium inuitament. dicitur *Inſignium virorum virtus, & ſanctitatis nota*. Diffiteri nec poſsū nec volo, virtute morū, & ſanctitate vitę claruiſſe tūc in illo Ordine 4. religioſos, qui illi fundarunt, & qui proximè ad illā S. Quadrigā acceſſerunt. Horum virorū probitatē Anth. Caracciolus, Epiſc. Acerrarū, & ipſe Caſtald. ante oculos nobis collocarunt. ex eorum lectione vtilitatem cū voluptate cepi non vulgarem; ſentiebamq; inter legendum, me ad eorum virtutes imitandas inflāmari. Solemne h.e. diuinę prouidentię vt religionū auctorib. ad eas teneras plātas ſtabiliendas adiūgantur & ſocij & primi filij, viri perinſignes, quales nō vident ætates ſubſequentes. Obſeruatio eſt hæc Vmberti quinti Magiſtri generalis in præſtantiſſimo Ordine Prædicatorum. Verum hæc ſanctitas non erat flexura Ignatium, qui non inuidebat illam Ordini ipſorū. Habebat ipſe ſocios nouem, non in ſpe, ſed in re, ſibi obligatos, à ſe ſpiritualibus exercitijs perpurgatos, inſtructos magiſterio ſuo virtutib. imbutos probitate ac doctrinis, cognitos. à ſe penitus, & intus & in cute, vt dicitur exploratos, diu multumq; probatos. Verū tales eſſent, quales ego deſcribo primi ſodalis Ignatij, declarant eorum perſpecta probitas & perſeuerans cum parente Ignatio, in ſanctis laboribus, per totam vitam exantlatis in rebus præclare geſtis in Eccleſiæ cōmodum & decus. Legātur quæ de ſingulorum ſanctitate ac moribus religioſis tradiderūt, quæ de ſingulis ſcripſerūt hiſtorici, qui poſt vel res vniuerſæ ſocitatis, vel vitā B. Ignatij ſcripſerunt: & præterea quatuor eorum vitæ euoluantur editæ, Petri Fabri, Franciſci Xauerij iam Beata declarati, Iacobi Laynez, & Alfonſi Salmeronis.

Vmb. tr. 140 in reg. S. Auguſt.

68. IV. inuitam. *Templi nitor, & cultus diuini puritas*. Concedo. inſignem fuiſſe & eſſe, verū ſi de templi nitore, & puritate diuini cultus extra chorū ſit ſermo, B. Ignat. nō poterat induci ad amplectendū illum ordinem, quoniam mente tenebat in ordinem ſuum introducenda exquiſitā rerū ſacrarū munditiem & templa magnifica ornataq;, altarium ornamenta pretioſa, SS. reliquiarum thecas ſerico, argento, auroque videndas. Odeo vero adeo non mouebatur, vt illud ordinarium nollet in ſua familia: non quod non placeret plurimum, aut non laudaret in

illis Religiosis, qui illud sanctè frequentãt; sed cum intelligeret illud non pertinere ad essentiã Ordinis religiosi, & alios multos in regionibus Catholicis Europæ esse, qui per hanc sanct. venerandamq; functionẽ populorũ deuotioni satisfacerent, existimauit vt experientia docuit, stare non posse cũ tam multis nostræ Religionis ministerijs vtilioribus directis ad salutem animarum, ac prę-

Ribad. l de Soc.. Instit. c. 4.

cipue cum munere docendi, & missionibus per oppida & castella. Plura de hac repugnãtia & impossibilitate, vt ita dicã, chori & nostri Instituti legantur tũ apud Ribad. l. de instit. Societatis, qui testificatur se audiuisse B. Ignat. dicentem, se fuisse introducturum Odeum, si suam propensionem secutus fuisset: sed non introduxisse, quia didicerat à Deo, nolle Deũ in eo famulatum Societatis sed in alijs muneribus. Tũ apud Sachin. in

Fr. Sacch. t. 2. hist. soc l. 2 §, 63. 64.

hist. Societ. Alienum autem animum Ignatij à choro in religione quam meditabatur, colliget Castal. ex eo, quòd Sacchin. scribit, vnum ex capitib. hoc fuisse, de quibus Carafa & Ignat. dissenserunt, quod confirmatur quoq; ex ijs, quæ ipsemet Castal. scripsit

Castal. c. 17 vitæ Pauli IV.

in vita Pauli IV de Pontificis illius propensione ad chorũ in Societatem introducendum: quod mortuo B. Ignat. aliquatenus introduxit, & alquantisper dum viueret retẽtus est obedienter, vt ibid. tradidit idẽ Sacchin. non diutius; quia alij 65. pontifices antecessores & successores pugnare cum instituto cognouerunt.

67. Quintum inuitament. *Solitudinis amor.* Inerat verè in illa Religione solitudo quædam reuerenda, rarus egressus, parca cum sęcularibus conuersatio; ministeria, quæ foras traherent ac distraherent tunc fere nulla. Nondũ ex professo concionibus habendis vrbes Italiæ circumibant; nondũ se dederant quæstibus animarũ faciendis, vt nũc cum laude ac fructu Ecclesiæ faciunt. Andr.

Andr. Stella l. 2. vitæ Hier. Æmil.

Stella in vita venerab. viri Hieron. Æmiliani, institutoris congregationis clericorũ regularium de Sommasca, qui Venetijs in sua cõuersatione spiritualẽ ducem elegerat Carafam, de hoc scribit repudiato episcopatu secessisse in montẽ Pincium, *ducendo vitã solitarẽ & exemplarem, & studendo diuinæ Scripturæ.* Ribaden. in epist. mihi scripta ante decennium: *Certum est, quod in principio nõ audiebant confessiones, nec concionabantur, sed operã dabant choro & vitæ cuidã recollectæ & exemplari.* Diophus Payua Andradrius Theologus Lusitanus, qui an. 1564. scripsit orthodoxas explicationes aduersus Kemnitium Caluinist. confundentem nostros Ordines, dum eos distingueret, inter alias differentias ponit hanc, quæ sequitur: *Illi (Clerici regulares) sacrarum æternarumq; rerum meditationi atq; psalmodiæ potissimum vacant. Isti verò cum assidua diuinorum mysteriorum cõtemplatione docendæ plebis, euangelij amplificandi &c. & aliarum actionũ piarum studium coniungũt.* Hanc Payuę comparationem indicauit Castald. in vita Pauli IV. cùm duos cardinales loquentes cũ Pio quarto inducit, eripientes Pontifici falsam opinionem de magna similitudine Ordinis Theatinorum & Societat. ob quam Pius de vnione vtriusq; Ordinis cogitabat. Asseruerunt ergo Papæ plus differre institutum Theatinorum à Societ. Iesu, quàm ab Ordine Minorum, aut aliorum Religiosorum. Subijciunt discrimina esse *in frequentatione diurna nocturnaq; chori; in ieiunijs monasticis, aduentus, & alijs multis similibus; in nulla possessione reddituum quorumcunq;; in consuetudine non mẽdicandi, aut petendi; in remotione à scholis sæcularium & aliorum negotiorum, bonorum quidem, sed distrahentium; in modo gubernandi, qui potius ad Aristocratiam vergit, quàm ad Monarchiam.* Quorsum hæc omnia? vt nimirum plane intelligatur discrimen vtriusque Ordinis, vel Castaldi testimonio: quod discrimen quo maius est, & in pluribus rebus, eo minus est credibile B. Ignatium habuisse propensionam ad Theatinorũ Ordinem amplectendum nam vt supra probatũ est, Ignatius impressam & infixã in animo habebat an. 1536. formam Societatis, quam postea expressérat in regula & constitutionibus, hęc autem forma amorem eximium erga proximos continebat, & spiritum abhorrentem à solitudine. De priori parte Laur. Surius lo-

Castal. c. 17. vitæ Pauli IV.

Laur. Sur. in hist. an. 1540.

quens de Ignatio; *singulari amore erga proximos succensus est Manresæ.* De vtroq; Maffeius: *In cæteris ornamentis, ac beneficijs, quæ in eum Deus plena manu congessit; illud equidem vel præcipuum,*

duxe-

duxerim, quòd in tanto perfectionis ardore, non dedit illi spiritum solitudinis, animumvè vni sibi vacantem, sed propagandæ fidei cupidissimum, ac mirè studiosum diuinæ Gloriæ salutisq; cõmunis. Ecce spiritus Ignatij Theatinorum illius temporis spiritui oppositus adeo, vt nihil magis contrarium ac repugnans esse possit. Et quamuis amor solitudinis Patrum Theatinorum, de quo pręcipuus est hic sermo, potissimum aduersaretur zelo dilatandæ fidei, quo ardebat Ignatius, quòd is excursiones per orbem, & alia ministeria requireret actuosa solitudini planè repugnantia: tamẽ alia discrimina, quæ à Castaldo & alijs Scriptoribus recẽsentur, validius probant alienum animum Ignatij ab illorum habitu suscipiendo: & inprimis chori vsus, & Aristocratica ratio gubernandi.

70. Ob hunc solitudinis amorem eueniſſe arbitror vt B. Ignatius numquam præberet aures proponentibus amborum Ordinum coniunctionem: quoniam amatores solitudinis sancto illi otio assueti ægrè inde potuissent auelli, & laboriosum docendi munus, longas ac periculosas peregrinationes suscipere, cuiusmodi sunt Indicæ, Æthiopicæ, Anglicanę. Fidem mihi facit Sacchinus, qui ait: *Ignatius quidem ex eo tempore suis cœptis moram à Carafa semper timuit: & Carafa semper creditus est voluisse ex gemina hac familia vnã confici.* Et post: *Volebat Carafa nostros Theatinis adiungi, volebat eosdem chorum assumere: repugnabat Ignatius, quòd aliud in Manresano secessu contemplatus erat, sibiq; imitandum putabat exemplum.* Similia tradit in histor. Societ. Retuli supra Ribadeneiræ caput epistolæ ad me scriptæ, in quo apparet præcisè negantem patribus Theatinis hanc coniunctionem ab Ignatio, cũ iam Carafa esset Cardinalis. Addo nunc aliud eiusdem epistolæ caput, non alienũ ab hac disputatione: in quo capite B. Ignatius ostendit se magnum harum familiarum discrimen cognoscere, atq; ex eo coniunctionem improbare. *Quo tempore*, inquit Petrus, *Patres Theatini non habebant Romæ domicilium, sed tantummodo Venetijs & Neapoli, & aliquod initium Patauij, noster B. Pater optauit, & valdè egit, vt Romam venirent; cum ob alias causas, tum verò vt melius discrimen inter vtramq; Religionem appareret; & nos nõ esse Theatinos, vt vulgus nominabat.* His cõsideratis Castaldus facilè intelliget nõ cõsistere, quod ait in vita Pauli IV. Iesuitas inclinasse animum ad hanc Ordinũ coniunctionẽ, *propter multas persecutiones, quas in varijs mundi partibus patiebatur, ipsorũ nondũ adulta societas.* Ac de hoc negotio vltro citroque iteras intercurrisse inter Dn. Bernardin. Scottũ Theatinum & Iac. Laynez nostrum. Primum enim ratio à persecutionibus ducta; friuola est: quia facta coniunctione, persecutiones exinde non [illegible] tissent, si Societas Iesu esse non desijsset. Immò creuissent, aucto numero domiciliorũ. Nec persecutiones Societatem impetebant, quòd adulta non esset, sed quòd improbi probos odisse solent, præsertim cum eorũ consilijs aduersantur, vt cõtinenter vidimus hodieq; videmus, quo tempore confessione Castaldi adulta est: & tamen direptiones bonorum, exilia patitur, & martyria. Agnouit & prædixit hæc de nostra Societate ipse Carafa, cum sederet in cathedra Petri, An. 1558. in luculenta illa oratione, quam habuit ad Patres Societ. in prima congregatione coactos. Hortans enim eos ad tolerantiam exemplo Christi, Apostolorum, Prophetarũ, Ecclesiæ, qui persecutiones passi sunt atrocissimas hæc ait, vt Sacchinus noster refert: *Similiter vobis continget. Multi enim nõ recipient vos nec doctrinam vestram sed persequentur vos & interficient, obsequium se præstare Deo arbitrantes. Perturbatissimum enim sæculum hoc est, quo Dominus vocauit istam beatam Societatem.* Prima radix Dęmon est, qui semper obstitit Societati; praui homines administri S. Hilarius: *Omnes humanæ iniuriæ, quæ Religiosis viris inferuntur non eosdem habent auctores, quos habent ministros. Executio quidem hominum est, sed diaboli instinctus est.* Hominum porrò Dæmonis satellitũ tanta est rabies, vt etiã philosophos oderint suis studijs occupatos, veriti ne sint admonitores castigatoresq; vitiorũ vt querebatur olim Dio Chrysost. At in Religiosos acrius irrũpunt. Saluian. in rem nostrã: *Fieri aut omnino nõ potest, aut vix potest, vt eam rẽ in alio diligat, à qua ipse dissidet. Itaq; eos* (monachos) *non sine causa oderunt, in quibus omnia sibi æmula atq; inimica cernebant. Illi enim viuebant iugiter in nequitia: isti in innocẽtia. Illi in libidine: isti in castitate. Illi in lustris: isti in monasterijs. Illi pro-*

Sacch. tr. de hac disput.

Id, t. 2. hist Soc l. 1. n. 31

supra §. 16 n. 59.

Riba. epist. ad Tul. Nigr.

Castal. c. 17 vita Pauli IV.

Sacchin. t. 2. hist. l. 2. n. 39.

S. Hilar. in Psal. 128.

Diochrys. orat. 72.

Salvian. l. 8. de Prov.

propè iugiter cum Diabolo: isti sine cessatione cum Christo,&c. Plura de hoc argumẽto leguntur in Apologia Fran. Montani pro Societ. Deinde coniunctio hæc nõ cessisset in dedecus Pauli Papæ, qui fundauerat, vt veretur Castaldus. Nam Paulus volebat Societatem in Ordinem suum transformare; hoc est chorũ illi imponere, & maiorem fortè solitudinẽ introducere, ministerijs aliquot actuosis ablegatis: & quod est grauius sic efficere de duobus corporibus vnum, vt Societas in alterũ Ordinẽ introduceret? contra verò P. Iac. Laynez minimè rationi consentaneum arbitrabatur, & verò etiam iniquum, vt Societas multò numerosior tunc & cœnobijs & sodalibus, atq; extra Italiam per Germaniam, Hispaniam, vsq; in Indiã dissẽminata & propagata, in longe minorẽ familiam intrusa coangustaretur. Id si euenisset, honori fuisset & ordini & Põtifici fundatori. Quinquaginta & amplius sunt anni, cũ ego adolescens initio religiosæ huius vitæ, à senioribus accepi, hoc à Pontifice fuisse tentatum, atq; à P. Laynez summa constantia pariter & humilitate repugnatum, illa potissimum ratione obiecta quòd Societas nouam formã induens destrueretur, ac desineret, esse illa cohors quæ fuerat contra hæreses hostesq; fidei potissimũ instructa. Deniq; videat Castaldus quomodo testes productos eludat, qui vel rebus ipsis interfuerunt, vt Ribadeneira; vel memoriã nostræ antiquitatis euoluerunt omnem in archiuo, vt Sacchinus; vel ab ijs, qui interfuerunt tractationi rei, acceperunt, vt ego.

Fr. Monta. c. 62. apol.

71. Sextum inuitamentum dicitur, *Paupertatis studium*. Laudabilis erat Paupertas Ordinis huius in illis initijs, quemadmodũ etiã hoc tempore post annos fermè 100. quam nihil esse immutatũ puto. Sic eam in constitutionib. suis definiunt: *Etsi neq; per professionẽ, neq; per S. Canones prohibeamur annuos reditus in communi possidere: per Conc. autẽ Trid. id nobis sit concessum: nihilominus (voluntariè tamen, vt nullo vnquã vinculo astringamur) ab illis abstinemus, quo à secularib. negotijs liberiores paupertatẽ Christi Domini, Apostolorum, & multitudinis illorum, quibus cor vnũ, & anima vna fuisse legimus, imitemur.* Ex his manifestũ est, possidere immobilia

Const. cler. regul. par. 2. c. 1.

reditus posse, si velint; nec fauore Concilij renunciasse: nec esse Religionẽ mendicantẽ vt obseruat Em. Roderic.) propriè sumptã iuxta S. Canones, qui requirunt ex cõmuni sententia Doctorum duo. Alterũ est, vt vel regula, vel constitutione prohibeatur etiã in cõmuni possidere redit⁹, aut possessiones pro victu necessario. Alterũ est, ne quærant victum per publicũ quæstum. Vtriq; necessario capiti cõtrarias cõstitutiones habent. Verum hoc illicio B. Ignat. capi verisimiliter nõ poterat, qui in inchoata Societate mente delineauerat paupertatẽ valde diuersam à commemorata Patrum Theatinorum; sacris Canonibus congruentẽ, ac proinde arctiorem, ita vt Societas in Religionem conformata futura esset vere ac proprie mẽdicans. Colligitur ea delineatio, tum ex voto qualicumq; paupertatis emisso Lutetiæ; ac repetito ante sacrorum ordinum susceptionem: tum ex ea paupertate, quam expressit in regula, & approbauerunt Pontifices. Est autem tam arcta, vt Pius V. peculiari diplomate mendicantem esse, Societatem nõ fecerit sed declarauerit, *Quippe quæ ex eius instituto & constitutionibus auctoritate apostolica confirmatis bona stabilia possidere nequit; sed in certis eleëmosynis, fidelium q; largitionibus & subuentionibus viuit.* His verbis pontificijs canonicum mẽdicitatis fundamentũ continetur: quod extra nouitiorum & scholariũ domicilia seueriſſime obseruatur. Hæc autẽ quomodo mendicitatem nõ tollant, quia sunt accessoria quædã, declarat Pius in eadẽ bulla, quæ vulgata est apud Ioan Azorium, & Pontificiarum bullarũ collectores Eman. Rodericum & Cherubin Laërtium. Præterea societas renuntiauit iure succedendi in bona ingredientium, aut profitentiũ, vt docet Gregorius XIII, in celeberrima bulla. *Ascendente Domino*, quæ pariter vulgatissima est apud eosdem & alios scriptores. Proinde non facit cum intrantibus aut vouentibus, aut eorum propinquis transactiones, seu compensationes. Item anno 1565. renunciauit pro domi professis, fauori ac priuilegio Concilij Tridentini concedentis omnibus mendicantibus possessionem bonorum stabilium; cuius renuntiationis meminerunt

Roder. t. 1. quæst regu. q. 3 ar. 14. c. vn. de relig. obm. l. 6.

Ribad. lib. 1 cap. 4 Maff lib. 1. cap. vlt. Orlan. lib. 1 n. 91.

Azor. t. 1. l. 13. cap. 7. Roderic. in bul. sub Pio V. n. 5. Laer. t. 2. in Pio V. n. 131

Ludo-

Molina. t. 1. tr. 2. disp. 139.
Ribad. l. de inst soc. c. 23.
Fr. Mont. c. 40. apol. Iac. Men. conf. 1014. n. 27.
Th. à Iesu tr. de paup. p. 5. c. 2.
Th Sanch. t 2. l.
Andr. Molf. t. 2. seu in addit. ad cõsuet. Neapol p. 4. addit. ad q. 64.

Ludouicus Molina, Petrus Ribadeneira, Franciſcus Montanus, Iacobus Menochius, Thomas à Ieſu Carmelita diſcalceatus: Thomas Sanchez quos ideo refero, vt Domn. Andreas Molfeſius, clericus regularis, qui domum profeſſam noſtrã ſcripſerat eſſe mendicantẽ ab extrinſeco, quia poſſidere poteſt immobilia, ſi vult, vigore conceſſionis concilij, intelligat ſuam opinionem euaneſcere, propter validam & antiquam renuntiationẽ fauoris ſynodalis. Inſuper ſocietas noſtra nihil acci,ere poteſt in ſtipendium ſuorum miniſteriorum, & omnes profeſſi votum faciunt de non laxanda, ſed potius aſtringenda paupertate; & alia multa ad paupertatis incrementũ conſtituta ſunt alibi explicata: ratione quorum omnium, aliquot iuriſconſulti, profeſſos ſocietatis æquiparant Capuccinis. De mendicandi actu, poſtea.

Infra §. 20. n. 76. & ſeq.

72. Præterea, quæ ſunt explicata: quædam alia B. Ignatius deſiderare potuit in ea Religione, quam eſſet amplexurus, fini ſibi præſtituto neceſſaria cõſequendo: & in primis ſtudium ardens litterarũ ac doctrinarum. earum Caracciolus non inficiatur, Paulum conſiliarium vnum, ex quatuor primis inſtitutoribus Ordinis, *non admodum excultum litteris, nec apprime doctum.* Reliquos doctrinis vacuos non dixerim, & in primis Carafam, quem poſtea Cardinalem & Pontificem doctiſſimum appellatum lego. B. Caietanus item Canonici iuris doctor fuiſſe traditur, & Bonifacius à Colle iuriſprudentia, cui diu multumq; ſtuduerat, excultus. At tũc minimè doctrinas profitebantur, rati plus eſſe in probitate vitæ præſidij locandũ, ſalutis æternæ cõparandæ gratia, quàm in ſcientia doctrinarum. Et quoniã nihil eſt ſimul factũ, & perfectũ, an. 1533. idem Pontifici Clemẽti VII. qui ordinẽ confirmarat, ſignificant ſe decreuiſſe vacare prædicationi verbi Dei, audiẽtiæ confeſſionum, ſacræ Theologiæ, & ſacrorũ Canonũ ſtudijs ad ſuarũ & aliorũ Chriſti fidelium animarũ profectum. Pontifex annuit eorum votis per diploma relatũ à Cherubino Laertio. Quo fiebat, vt Ignatius adeo non poſſet trahi ſplendore doctrinę, qui nõ aderat (vt Caſtaldus de hac ſilens agnouit) vt etiã ex hoc defectu, ſi cogitaſſet illis patribus aſſociari, fuiſſet retractus. Nã ipſe, qui ſalutem animarum ſpectabat, & zelo cõplexus erat hæreticorum ad Catholica caſtra reuocationem, iuuentutiſq; educationẽ, litterarum quoque & doctrinarum non vulgarium, ſed exquiſitarum adiumentũ virtuti ac ſanctitati dandum exiſtimauit. Hinc factum, vt iam grandis natu in litteras toto pectore incumberet; ſocios ſibi nõ leuiter tinctos aſperſoſq; litteris, ſed imbutos doctrinis, & planè doctos aſciuerit. Paulus III. initio diplomatis, quo ſocietatẽ erigit in Religionem, indigitat eos omnes, *Magiſtros in artibus, in vniuerſitate Pariſiẽſi graduatos, & in Theologica ſtudijs per multos annos exercitatos.* Habemus in hiſtorijs noſtris, ſimul ac Romã ingreſſi ſunt, corã Pontifice, ipſius iuſſu, de matrimonio Regis Angliæ diſſeruiſſe: paulo poſt iuſſos in publico Gymnaſio Sapiẽtię, ſacras litteras & Scholaſticã Theologiã explicare: permiſſos omnes cõcionari & expetitos, quoniã omnes idonei erãt: Alfonſum Salmeronẽ auditũ in ſacello pontificio concionantẽ cum aſſenſione aulæ: miſſos Laynẽ & Salmeronem ſæpius ad conciliũ Tridẽtinum, vt doctores Papę. Quales ſint cõciones, quàm multa, quàmq; erudita opera eiuſdẽ Salmeronis, Caſtaldus nouit. Itaq; cũ multa paria eſſent in ordine iam probato Clericorũ regulariũ, & in ſocietate Ieſu formata in mente Ignatij: nõnulla contraria prorſus fini & cogitatis ipſius: aliqua formæ cõceptæ deeſſe viderẽtur, non eſt veriſimile potuiſſe Ignatiũ allici ad mutãdum vitæ ſtatũ iam firmo decreto ſtabilitũ. Quod autẽ poſtremo ait, potuiſſe appeti nouũ ordinẽ ab Ignatio, quòd vacuus ambitione nolebat nouæ prolis parẽs appellari, nullã habet probabilitatis ſpeciẽ. Tũ quia non erat hoc magnũ crimẽ, quod tantopere fugere debuiſſet. Tũ quia non negabat ſe auctorem ordinis poſt Deum, ſed nolebat ſodales à ſe denominari Ignatianos, vt tota gloria in Ieſum Saluatorẽ cederet. Quod obtinuit ſtabilito nomine

Caracc. p. 277.
Id. p. 173. 262.
Cherub. Laer. t. 1. in Clem. VII. n. 38.
Maff. l. 2. c. 3. 6.
Rib. l. 1 vitæ Iac. Layn. c. 2. & l. 2.
vita Ign. c. 7. 12.
Orl. l. 2. n. 33.

Mart. Delr. l. 2. magic. disquis. q. 30.

Societ. Iesu per Apost. sedé; cum non audiatur vnq; Ignatianorũ appellatio, sed Iesuitarum. De qua re legatur Mart. Del-rio.

§. XIX. D. CASTALDVS.

" 73. ANimo etiam versabat Ignatius,
" quæ pati necesse sit in nouo Cle-
" ricorũ Ordine fundãdo. Hæc enim illa e-
" rant, quæ in Vicẽtino conuentu an Salutis
" 1539. postea ipsũ sociosq; à proposito cõ-
" dendę Religionis dimouere videbãtur. Sic
" .n. Orlãdinus scribit: *At ne illud quidẽ vacare*
Orlan l. 2. n. 59. " *periculo, ne summus Põtifex, cuius auctorita-*
" *te nutuq; sanciẽda denicq; erãt omnia, nequa-*
" *quã forsitan nouæ Religionis probato cõsilio, iu-*
" *beret potius ad vnã aliquam ex veteribus, &*
" *probatis, quarũ tãta in Ecclesia iam copia erat,*
" *eos aggregare sese, quàm vt nouas conderent,*
" *indulgeret.* Hæc ille. *Ad §. 19. Iulij respõsio.*
" 74. Inuitamentis enumeratis, quæ Castaldi sentẽtia poterãt allicere B. Ignatiũ, nunc producitur incitamentũ quo posset impelli: hoc est metus difficultatũ, quas animo versare putabatur in Ordine nouo fundãdo. Respondeo pace Castaldi, parũ honorificè hoc de B. Ignatio, & cogitatũ, & pronũtiatũ est: cuius magnitudo animi in primis laudib. ponitur. Siccine vir imperterritus, & accusationibus, carceribus, iudicijs exagitatus; totrebus aduersis exercitus, tot incommodorum & obstaculorũ victor, ne latũ quidẽ vnguẽà destinatis recedẽs, perterrefactus dicatur illis difficultatibus, quæ cõmemorantur? Si hoc admittatur, eripitur illi cõstantia, de qua est præcipua quæstio. Nã ex S. Thoma, cõstans est is, qui nõ desistit propter repugnãtiã & difficultates ab executione magnorũ operum: cuiusmodi erat nouæ Religionis institutio, & prædicatio Euangelij ad Infideles. At si propter metũ difficultatũ à Castaldo cõmemoratarũ destitisset, sine dubio excidisset à constantia. Quid quòd hæc trãscripta verba ex Orlãdino, Ignatij metũ non arguunt? ab eo esse dicta non cõstat. In illa consultatione prolata sunt, quæ Romę facta est, non Vicetiæ: cui cum Ignatius præsideret auctoritate paterna tanquã arbiter, verisimiliùs est à quouis alio, quã ab Ignatio prolata. Nec credibile est ab eo proposita fuisse obstacula, qui cupiebat, si qua obiecta essent, infringere. Ecquæ ciuitas, quæ cõmunitas, quæ cõgregatio est benè temperata, quæ non iubeat in cõsultationibus rationes in vtramq; partẽ proponi, vt veritas extũdatur, & quod est optimũ eligatur? Idẽ Orlandinus ibidem liquido narrat iussum esse, vt pro & contra rẽ propositã, quidquid veniret in mentẽ diceretur. Quod aũt hic metus ne tantulum quidem Ignatiũ mouerit, euentus docuit, & accurata diligentia tum spiritus, tũ prudẽtiæ; qua collectis omnib. animi corporisq; viribus, & cunctis humanis ac diuinis machinis adhibitis generosè omnia impedimenta perrupit. Hoc demonstrant verba Cardinalis à Mõte in relatione facta Gregorio 15. pro Canonizatione: *A paupere & laborioſa vita, quã à principio ſuæ cõuerſionis in Dei gloriã, & proximorũ auxiliũ inſtituerat, numquã deſtitit, ſed perſeuerauit: ſuperatiſq; omnibus, qui obſtabant, obicibus, atq; ex formula inſtituti, huic S. Sedi oblata, ſolẽnib. votis ritè nuncupatis confirmauit.* Hic locus est, vnde humanum spiritũ, esse metũ, ex Castaldi permissione superius colligebã.

Card. à Mõte in relat. §. de fide.

supra §. 9. n. 12.

§. XX. D. CASTALDVS.

75. POstremo cõplacuit sibi in nostro Ordine Ignatius, quon ã pauperta-
" tis erat amator, & magis de diuina proui-
" dẽtia, quàm de humana sibi prçsumẽdum
" esse statuerat. Hac .n. ratione, vt Ribade-
" neira scribit cũ Barcinone discederet, naui-
" trãsfretaturus in Italiã, nec siccũ pané, cõ-
" tradi ẽte tamẽ Nauclero, secũ ferre deli-
" berauerat: quod omnino perfeciſſet, nisi
" cõfessar. jussio accessisset. Simile est illud
" quod egit cũ Roma abiret, & proficisceretur in Palæstinam. Octo .n. aureos liberè,
" datos in itineris vsũ, statim pauperib⁹ di-
" stribuit. Quid immoror in antiquioribus
" recoẽdis? an. 1534. Lutetię simul cũ socijs
" pauperẽ vitam in illo itinere ducẽdi, Deo
" votũ egit: & hoc ipso 36. quo Caietanum
" adijt, nõ aliter sibi victum parabat, quàm
" quotidiana stirpe coacta. Cũ igitur nostri
" Ordinis institutũ nec stirpe cogenda, nec
" reditibus subsisteret, & terrenorũ omniũ
" sollicitudinẽ in bonorũ omniũ auctorem
" proijceret, facile Ignatium eo ipso viuen-
" di modo incensum allicere potuit. Ad:

S. Th. 2. 2. q. 128 ar. vn. ad 6.

Ad § 20. Iulij responsio.

76. Rursus ingeritur inuitamentũ paupertatis. De altera parte, quæ posita est in non possidẽdo, abunde disputatũ est: de altera, quæ locata est in nõ mẽdicando nunc differendũ est. Vt certissimũ pono, hoc paupertatis genus Ignatio minimè placuisse; proindeab ea nõ fuisse illectũ. Primũ argumentũ sit perpetua Ignatij mendicatio à quoprimũ tẽpore ad Deũ cõuersus est. Mãresæ *cogebat quotidie stipẽ*, ait Ribadeneira. Paucul sobolos, quos in statione nauiũ Barcinone reliquerat *ostiatim emẽdicarat*. Venetijs dũ moraretur an. 1523. *Veteres suo instituto stipem cogebat*. vnde habemus, Petri testimonio, id illi fuisse cõsuetũ: quæ cõsuetudo cõfirmatur ex eo, quòd cõpluti pariter, *Ostiatim ex more panẽ in victũ mẽdicat*. Parisijs in Belgium & Angliã excurrit stipis corrogãdę gratia. In patria, fratre oppidi domino repugnãte, *stipẽ colligere ostiatim cœpit*. Venetijs an. 36. Castaldo ipso teste. *Non aliter sibi victũ parabat, quàm quotidiana stipe coacta*. Ad Vicetiã subsistens cũ duobus socijs an. 1537. *Bis quotidie oppidũ ad victũ quæritandũ ingrediebatur cum illis*. Atque hæc Ignatij mẽdicatio probata fuit in processu & à Rota, vt apparet ex relationib factis Papæ; tum in cõsistorio secreto à Cardinale de Monte, tũ in publico à Nicolao Zãbeuaro aduocato cõsistoriali an. 1622. mense Ianuario. Antequã in vrbes Italiæ, studiorũ sedes bini proficiscerẽtur sodales, prescribit ijs omniũ cõsensu inter cetera: *Vt suũ illud perpetuo tenerẽt; ne quid nisi ostiatim emendicatum ad vsus vitæ necessarios, vel exigãt, vel accipiant*. Quã mendicationẽ in societatẽ introduxit ac potissimũ in domos professas, retinẽs in hoc primęuũ spiritũ cõuersionis initio conceptũ; vt in constitutionib. videre licet. Secundũ argumentũ est, quòd noluit assumere illũ gradum paupertatis, qui perfectissimus in Ecclesia cẽsetur, quiq; cõstituit Religiosos verè ac propriè mẽdicantes. is est mẽdicatio, (posita incapacitate possidẽdi) & in iure canonico dicitur *in certa mendacitas propriũ quæstum*. Tertiũ argumentũ est cõstans & perpetua propẽsio imitãdi Saluatorem, quem probabile est mendicasse, ex S. Bernardo, Thoma & alijs doctoribus; Saluatoris exemplũ Apostoli, multi sancti, ac nobilissimæ familię Religiosorũ secutę sunt, quib. se cõformabat Ignatius, ostiatim eleemosynã quæritãdo. Quartũ, existimabat cũ S. Thoma & alijs magistris Christianorũ, plures virtutes exerceri mẽdicãdo, quàm abstinẽdo à mendicatione: nimirum humilitatẽ, patientiã, religionẽ, charitatẽ erga proximum, imitationẽ Christi & sanctorũ, vt nunc dictũ est, & alibi probatũ.

77. Quintũ argumẽtum: Arbitrabatur B. Pater nõ minus à diuina prouidẽtia pẽdere viuentẽ mendicato, quàm ex oblatis: quæ sententia videtur insedisse menti S. Francisci Assisinatis, qui teste S. Bonauentura, *Propter sanctæ paupertatis amorẽ, omnipotẽtis Dei famulus, ostiatim quæsitis vtebatur multo libẽtius, quã oblatis*. Ratio est, quia petiturus eleemosynã incertus est, tũ ante petitionẽ, tum in ipsa petitione, vtrũ daturi sint eleemosynam, qui rogantur: atq; ideo iactat in diuinam prouidentiam cogitatum suũ. Nullã. n. actionẽ ciuilẽ mẽdicus habet ad extorquendam stipẽ de manu diuitũ, vt bene obseruat Antonius à Corduba. Et diuites, quãuis cũ rogãtur, sæpè iure Naturæ aut alio nomine debeãt egeno, q̃ petit; tamẽ aut nõ putãt eũ egere, aut nõ animaduertũt, aut claudunt viscera misericordiæ. Perinde fit, vt sæpè mẽdicus repulsam patiatur, & interdũ malis verbis acceptus cogatur in diuinã misericordiã cogitatione speq́; redire. Facta egregia Ignatij, quę hoc loco à Castaldo referũtur, arguũt illa quidẽ eximiũ amorẽ paupertatis, & in Deo fiduciã: sed nõ illius generis paupertatis, q̃ mẽdicationẽ reijcit. Nã vt narrat Ribadeneira, Ferrarię exiẽs è tẽplo pauperib. distribuit quindecim sexdecimue aureos quos habebat *& è vestigio mẽdicare ipse incipit panem quo eo ipso die vesceretur*. Idẽ fecit, quotiescũq; largiebatur mẽdicis, quæ ipse habebat. Tãti mendicationẽ faciebat, vt amore paupertatis eã sæpè reperiret, & in spirituali lucro reponeret. Sextũ argumentũ, Doctus experiẽtia opinabatur, illã cõsuetudinẽ viuẽditantũ ex oblatis, nõ esse

Supra § 18. n. 71.

Ribad l. 1. c. 8. n. 10.

Rib l. 1 c. 14. l. 2. c. 2. n. 1.

Orl. l. 2. n. 24.

Const p. 6. a. 2. § 3. & in exam. c. 6. § 12. 27.

c. vn. de reb. eccl. dem. l. 6.

S. Bern. ser. dem infra Oct. epiph. S. Th. 2. 2. q. 187. ar. 5.

S. Bon. vita S. Franc. c. 7.

Ant. Cord. dub. in reg. S. Franc. c. 6. q. 13. pũ. 2.

Ribad. l. 1. c. 12.

posse perpetuam; quoniam charitas fidelium in aliqua ciuitate, aut regione ob terræ sterilitatem ac penuriam rerum victui necessariarú refrigescere potest. In eo tẽporis articulo, si necessitas vrgeat, aut Deus tentãdus est expectando subsidium supernaturale, sine instinctu diuino, seu reuelatione particulari: aut certè petenda sunt necessaria victui abijs, qui dare possunt. Naturæ lex ad hoc impellit; Lactãtio teste cũ ait: *si quis ad extremã mendicandi necessitatẽ deductus, victũ precibus exposcit; Deum solum obtestatur, & per eius diuinum atq; vnicum numen, hominum sibi misericordiam quærit.* Ipse B. Ignatius, cum Lutetiã peruenisset, & ab amico pecunia deposita fuisset fraudatus, hanc necessitatem expertus est adeo, *vt ostiatim quæritare victum cogeretur.* Et si per amicos significes tibi deesse necessaria dicentes, vinum, aut panem non habent; velis nolis, mendicas: quoniam, vt rectè definit Alfonsus à Castro, Mendicare est necessitatem suam, siue per se, siue per alium prodire illi, qui subuenire possit. Et omnes mendicantes bonæ conscientiæ, cum oblata sufficiunt, abstinent à mendicando, cum desunt necessaria, mendicant. Deniq; quod ait Castaldus Ignatium fecisse votum Lutetię cũ socijs ducendi pauperẽ vitã in itinere Ierosolymitano, in meis codicibus non reperio. Lego potius contrarium apud Ribadeneiram, Orlandinum, Alf. Rodericũ viaticũ fuisse exceptum ab illo voto, quod paulo post in hac epistola Castaldus ipse confirmat.

Rab. l. 2. c. 1.

Alf. de Castro l. 10. adu. hæres. ver. Mẽdicitas.

Alf. Roder. p. 3. tr. 2. c. 85 Rib. l. 2. c. 4. Orl l. 1. n. 91.

Infra §. 22.

§. XXI. D. CASTALDVS.

« 78. HAEC autẽ, quæ prudẽter expẽdens Ign. cum B. Caietano cõtulit, cum nostrorũ Patrũ numero adscribi « postulauit, nulla criminis nota digna esse, « aggredior demonstrare. An forte leuitate « fluctuauit Ignatius, cũ socijs Lutetiæ de- « relictis, imò spretis, nouũ vitę genus eligeret? Non equidẽ: *Nullis .n. certis legibus* (vt « verbis vtar Orlãdini) *nullo proprio duce at- « que præposito viuebat.* Ergo nihil cõtra Igna- « tij constantiã præsumendum, si leges non « certæ, & vitæ institutum non firmum,

Ad §. 21. Iulij responsio.

79. Non est quòd auctor laboret in probando, crimen non fuisse futurum, si B. Ignatius ipsius Ordinem postulasset. Non enim hoc verbum excidit à calamo meo. Grande peccatũ criminis nomine notatur apud sanctos patres Latinos magistros Christianorũ, Hieronymũ, Augustinum, Gregoriũ, Bernardũ. Futurum fuisse existimaui contra rectã rationẽ contra bonos mores officiosi hominis, cõtra fidẽ socijs oppignoratam, deniq; contra virtutẽ cõstãtiæ. Quę omnia vitare debebat vir perfectionis studiosissimus adeò, vt minimè credibile videatur, eum de hac mutatione destinatorũ, ac desertione sociorum cogitasse. Negat Castaldus Ignatiũ futurũ fuisse leuẽ seu incõstantẽ, si nouũ vitæ genus assũpsisset *derelictis, imò spretis* socijs. Ego cõtra probare cõtendã illũ peccaturũ fuisse leuitate cõtra cõstantiã si id feciſſet, & & cõtra fidelitatẽ si socios deseruisset: cõtra officiũ boni viri, si eos per illã desertionẽ, vt verba Cast. significãt, spreuisset.

S. Hier. in Ps. 119. S. Aug. Enchir. c. 64. S. Greg. l. 21. mor. c. 9. S. Bern. l. de præc. ex dis. c. 11. 12.

80. Quod attinet ad leuitatẽ; scio præclarè hunc locum à Francisco Sacchino nostro tractatũ è visceribus historiæ, ac naturæ B. Ignatij. Sed ego ne videar hoc telũ, aut non declinasse, aut non repulisse, clypeum ex eodẽ armamentario depromam. Constãs, vt obseruat S. Thomas, nõ vno in loco, is dicitur, qui stat & permanet in bono opere suscepto, nec propter difficultates, vt suprà dixi, desistit ab executione magnorũ operum. Quo fit, vt constantia, pars fortitudinis potẽtialis, sit virtus, quæ finem eundem habeat, quem perseuerantia. Differt autẽ, quòd perseuerantia stabiliat hominem in bono suscepto aduersus difficultatem obiectam à diuturnitate temporis actionis: sed constantia firmat & stabilit hominem contra difficultates subnascentes ex impedimentis extrinsecis quibuscumq;. & quoniam hæ difficultates inferũt tristitiam, quã patiẽtia vincit, ideo non est expers patientiæ; imò & magnificentiæ particeps, cum in magnis operib. exercetur cõstantia. Itaq; præstãtissima est virtus, quæ tot virtutum est

S. Th. 2. 2. q. 128. ar. vn. ad 6 & q. 137. ar. 3. Supra n. 72.

assi-

Iust. Lips. l. 1. de constant. c. 4.

affinis: eamque definierim adiutus à Iusto Lipsio moralis philosophiæ perito, *Reatum & immotum animi robur in bono susceptо*. Quãtopere in Ignatio emineret hęc virtus tot tamq; nobilibus comitata non pediſe quis, ſed principibus, cóſtat ex ijs, quę de ea hiſtorici tradunt. Maffeius tertij libri ca. 9. inſcripſit, *De conſtantia eiuſdem*. Ribadeneira pariter in ca. nono libri quinti multis productis conſtantiæ, fortitudinis ac patientiæ nobiliſsimis actionibus, eius magnitudinẽ animi demonſtrat & illuſtrat. Omnes admirantur patientiã & perſeuerantiam in ſtudijs litterarum, quibus homo id ętatis, & militaris profeſſionis totum ſe tradiderat. Suſpiciunt conſtantiam in iuuandis proximis, quamuis toties vel carceribus, vel ſententijs id illi fuiſſet interdictum. Porro autem duo ſunt magna opera præcipua, virtuti conſtantię obiecta, quæ virtute incolumi deſerere non poterat. Alterum erat munus ſeu miniſterium ſaluandarum animarum, ſuſceptum ab initio conuerſionis; quod Caſtaldus illi nõ denegat, ſed attribuit in hac ipſa epiſtola. Alterũ opus eximium erat inſtitutio nouę Religionis, in qua ſalus hęc animarum plenis velis atq; incitatis remis quęreretur. Si alij nomen Ordini dediſſet, proculdubio defeciſſet à Conſtantia, & ipſe Inconſtãs merito dici potuiſſet: quoniam eum deieciſſet Inconſtantia, quæ S. Thomæ non eſt aliud, niſi *Receſſus à bono propoſito definito*. Primum quidem quia nõ retinuiſſet animi robur inuictum in opere præclaro ſuſcepto Societatis perficiendę. Negabit Caſtaldus hanc illi fuiſſe mentem, ſed ego poſtmodum probabo. Deinde leuitatem oſtendiſſet in non retinendo miniſterio ſaluandarum animarum: quoniam illud aut nihil, aut parũ admodum exercere cum illis patribus potuiſſet. Solitariam vitam ducebant illi ex Caſtaldo: non erant apud eos exercitia ſpiritualia iuxta B. Ignatij formam; nõ miſſiones per oppida & Caſtella; non educatio iuuentutis, non eruditio puerorum, non prædicatio ad infideles, non diſputationes cum hæreticis. Quinetiam Caraffæ non erat animus, teſte Caſtaldo, vt nimium ſua Religio dilataretur, quã ferè ob causã ſeſe intra Italiã adhuc continet. Adde Caraffam adeo fuiſſe ſolitudinis ac ſeceſſus amantẽ, vt adiunctis quibuſdam ſocijs voluerit eremita fieri cũ Paulo Iuſtiniano Camaldulenſi, qui Eremum Montis coronæ inſtituit. Id extare ex epiſtola ipſius manu ſcripta tradit Lucas Hiſpanus eremita Camaldulenſis, in hiſtoria Montis coronæ. Hinc ſecutum fuiſſet, vt cordis Ignatij capacitas immenſa, qua totũ mundum cõplectebatur, in maximas anguſtias deducta fuiſſet. Quis ergo credat poſt XVI. annos perſeuerantię in ſuſcepto cõſilio, poſt tot exantlatos labores in ſtudijs litterarũ & doctrinarum in ætate prouecta, ſuſceptos in aggregandis, inſtruẽdis, formandis ſodalibus, virum annorum ſex & quadraginta, deſtinata deſerere voluiſſe? Quis præterea neget eſſe leuitatẽ conſtãtiæ definitæ doctrina S. Thomæ contrariã, magna opera recenſita imperfecta relinquere? Nec liberat à leuitate Ignatium Caſtaldus dicens. *Nullis certis* legibus &c. & *vitæ inſtitutum non firmum*. Primum quidem, quia verba illa ſunt ab Orlãdino dicta, nõ de Ignatio, ſed de toto cætu, & aliquantũ diuerſa ab ijs, quæ Caſtaldus habet: *Ad eã quippe diem nullis certis legibus, nullo proprio duce atq; propoſito viuebatur: ſed Ignatiũ venerabantur omnes, & agnoſcebant vt patrẽ.* Quibus ſignificat nõ fuiſſe conſtrictos legibus religioſo more conſcriptis, nec habuiſſe ſuperiorem cui ex voto parere deberent, quia nondum erat Religio: ſed Ignatij ductũ ſequebãtur, tamquam diſcipuli & filij parentẽ, qui eos ſpiritu genuerat. Nec inſtitutũ eorum dicitur firmum, firmitate confirmationis Apoſtolicę; ſed erat firmũ virtute conſtantiæ, vt probatũ eſt, & vinculis fidelitatis, vt probabitur. Ipſe vero Ignatius erat aſtrictus certis legibus amicitiæ, curæ paternæ, fidei datæ, mutui contractus, quas iure naturæ ac gentium ſeruare debebat.

Caſtal c. 17. vita Pauli III.

Luc. Hiſp. hiſt. erem. Camaldul. Montis con. l. 3. c. 15.

Orl. l. 2. §. 59.

S. Th. 2. 2. q. 88. art. 5.

81 Venio ad ſecundum caput probandũ: nimirum futurum fuiſſe contra fidelitatem & amicitiam, non ſolum contra conſtan-

stantiam socios deserere, quod auctor negare videtur. Indictus erat cõmuni cõsensu omniũ dies ad conueniendũ Venetijs: Ignatius receperat se ibidem eos præuenturum, expectaturum, & interim, quæ ad Ierosolymitanam nauigationẽ erant opus, paraturum. Sepe antea de hac profectione egerant; & vt vitã vna ducerent in animarum auxilium conuenerat inter eos, præsertim qua die vota illa spoponderant, de quibus postea. Ex hac fide data & accepta factus est quidã mutuus contractus & pactum, quod nemo negare potest quin seruandũ sit. Pertinent. n. hæc certè ad veritatẽ & fidelitatẽ (vt nihil de iustitia dicã) quæ inter homines, præsertim ingenuos, sunt maximi momenti, & omnino seruãda, quia promissa. Nam humana promissio honesta & acceptata obligationẽ inducit in cõscientia, vt Theologi docẽt. Hinc illa grauissima verba S. Leonis Papæ: *Humana pacta nõ possunt impunè calcari.* Hinc & illa S. Augustini: *Bonæ fidei cõtractus nulla ratione dissolui solẽt.* Quid in lumine naturæ iurisconsultus Vlpianus in leges relatus ait? *Quid tã congruũ est humanæ fidei, quã ea, quæ inter eos placuerint, seruare?* Quod si ex M. Tullio, *Fides est conuentorũ dictorumq; constantia & veritas*, violator fidelitatis, pactorum desertor, nequaquã constans dici potest. Insuper cum violatio virtutis huius possit esse graue peccatũ, si magnę personæ sit facta promissio, consideret Castaldus personas nouem doctissimorũ virorum, interquos nobiles nõ deerant: quique hortatu Ignatij votum de pauperibus distribuendo patrimonio nuncupauerãt, patriã relinquere statuerant, vt Ignatiũ sequerentur; & faciat consecutionẽ, vtrum grauibus viris molesta grauiter esset futura promissionis & pactionis violatio, vnde tot incommoda sequebantur. Adde quod amicitia lædebatur, & in hoc apparebat incõstantia. Expendẽs. n. S. Thomas locũ Ecclesiastici: *Amico fideli nulla est cõparatio*, tradit, fidelẽ amicũ existimare sibi esse, quẽ erga se immutabilẽ inuenit, &, à quo propter nouũ amicũ non deseratur 82. Tertio loco peccasset Ignatius contra officium boni viri, si spreuisset socios, vt Castaldi verba significant. Etenim *spernere* vitiosum est, & à M. Tullio cultui opponitur; nec multum differt à despicientia & contemptione spernendi actus, cum hic apud eundem auctorem sit idẽ. quod pro nihilo putare. Adde quod nihil adeo irritat in hominibus & accendit iram, vt contemptus. Quapropter Ira est Aristoteli, *Appetitus speratæ vltionis cum dolore, propter apparentem immerito, vel in se, vel in suos ὀλιγωρίαν:* quod verbum, vsurpatum quoque à Plutarcho in iræ descriptione, causam efficientem iræ comprehendens, S. Thomas antiquum interpretem secutus, bene exprimit per *vilipensionem:* & hãc solam esse ait excitatricem iræ. Vertunt alij negligentiam, alij contemptum. Dixerim ego *Neglectum*, qui tres species ex Aristotele continet, inter quas collocata est despiciẽtia. Ergo neglectus nõ est sine cõtemptu, qui est actus opinionis rem, quæ contemnitur, indignam, nullius pretij, & pro nihilo æstimantis. Atque vt obseruat idem philosophus, eo vehementius inflãmatur ira ille, quem contemnis, si sis amicus, si curam eius geras, si nunquam id à te expectasset. Quamobrem si B. Ignatius deserens spernebat socios, & exinde negligebat, contemnebat, ac per hunc neglectum, seu vilipendium, vt ita dicam, quãtum in se erat, prouocabat ad iram, quomodo à culpa poterit excusari? Præsertim cum amicus esset, & loco parentis eorum curam haberet maximam, & in tanta esset apud eos opinione probitatis, vt nunquam ab eo desertionem huiusmodi somniassent. Et nos dicemus eundem hominem, qui, præter spectatam morum sanctitatem & religiositatem tot annorum cursu probatam, nobili loco natus erat, in aula regia educatus, in militia versatus, quibus in locis honor summe colitur, promissa exactè seruantur, & maxima bonæ existimationis habetur ratio, fuisse ausum attentare aliquid contra dignitatẽ viri nobilis & officium hominis Christiani? Negat paulo post Castaldus moratũ virũ socios deserere voluisse, quia id absurdũ putauit.

Suar. select. 1. de libert. vol. diu. sect. 2. n. 18. t. 2. de releg. tr. de voto l. 4. c. 1. n. 4.
S. Leo ep. 90. al. 92 c. 14.
S. Aug. ep. 50. ad Bonif.
L. 1. ff. de pactis.
Cic. l. 2. offic.
S. Th. opus. 61. c. 14.
Eccli. 6. 15.
Cic. dial. de senect.
Plut. l. de cohib. ira.
S. Th. 1. 2. q. 47. ar. 2.
Maior. ag. in l. 2. rhet. Ar. c. 2.
Ar. l. 2. rhet. c. 2.
Infra § 25

§. XXII.

§. XXII. D. CASTALDVS.

« 83. SCio Nigroniũ vota quædã Lutetiæ « Sab Ignatio socijsq; emissa recensere, « cõtra quæ feciſſet Ignatius, ſi Noſtris ad- « iungi optaſſet. Sed quænam ſint vota hęc, « ex Ribadeneira, cui fidem dandã eſſe, nõ « eſt qui ambigat, audiamus. Anno, inquit, « 1534. die Sextilis XV. in qua Deiparæ glo- « rioſa in cælum aſſumptio celebratur, in e- « iuſdem Virginis tẽplo, quod dicitur Mons « martyrum, propè Lutetiam, Ignatius ſo- « cijq; ſummo numini hæc vota nuncupa- « runt. Primo vt condicto ab ipſis die, tan- « tum neceſſarijs ad Italicum iter ſeruatis, « cætera pauperibus diſtribuerentur. Secũ- « dum, vt proximorum ſaluti ſemper & aſ- « ſidue cõſulerent. Tertium, vt Hieroſoly- « mitanam peregrinationem ſuſciperent, & « loca ſancta inuiſerent, in quibus ſi cõmo- « de fieri potuiſſet, extremum diẽ claude- « rent. Sin autem Romam reuerterẽtur nu- « tui Romani Pontificis obtemperaturi, il- « ludq; vitę inſtitutum accepturi, quod idẽ « Pontifex acceptandum eſſe decerneret. At « quæ huiuſmodi votorum cum noſtro in- « ſtituto repugnantia? Accedit quod anno « 1537. Ignatij ſocij Venetijs corã Illuſtriſſi- « mo Hieronymo Verallo, Apoſtolico apud « Venetã Remp. nuntio, paupertatẽ & caſti- « tatẽ profeſsi ſunt: cum obediẽtiæ votum « nõ ante Vicentinum conuentum an. 1539. « coactũ, emittendũ eſſe, ſtatutum ſit. Sic. n. « Orlandinus habet. *Ea de re, cum multis v-* « *trinq; rationibus noctes complures diſcepta-* « *tũ eſſet, tandem vna omnium mens atque ſen-* « *tentia fuit, ad duo priora vota perpetuæ pau-* « *pertatis & caſtitatis, tertium inſuper adiun-* « *gendum perpetuæ obedientiæ; atq; ex ſuo cor-* « *pore vnum aliquẽ ſeligendum, cuius dicto au-* « *dientes eſſent reliqui, & cui ſua iudicia vo-* « *luntateſq; ſubmitterent.* Hæc ille. Igitur il- « lo an 1536. nulla certa lex, nulla Religio, « nulla de nouo vitę inſtituto condendo de- « liberatio, nullum votum religioſo ſtatui « repugnans. Sed inquis, votum Hieroſoly- « mitanę peregrinationis, quod eſt difficil- « limum relaxatu, erat implendum. Fateor; « ſed qua ratione factum eſt, vt Ignatius cũ « ſocijs nunquam ſoluerit, eadem omnino « factũ fuiſſet, ſi noſtrũ Ordinẽ deuouiſſet.

Ad §. 22. Iulij reſponſio.

84. Si hęc eò ſpectãt, vt mihi perſuadeat illa vota nõ fuiſſe vota Religioſorum, quę formatã, & propriè ſumptam Religionẽ conſtituerent, non eſt quòd laboret, quoniãnõ nego, quę aſſerit, neq; id in aſceticis affirmaui, neq; aſſeri poteſt; quoniã religioſa vota ſenſu prędicto eſſe nequeunt, niſi in congregatione ab Eccleſia probata, vt nouiſsimè omnium definiuit Gregorius XIII. in conſtitutione, *Aſcendente Domino.* Si vult ea vota per ſolemnẽ profeſsionem in Religione probata per Eccleſiã extingui, vt eſt cõmunis ſentẽtia doctorum ex iure canonico, nõ abnuo. Sed cõſiderandũ eſt, quod S. Paulus docuit, & lex definit, nũ omnia quæ licent, etiã expedãt & ædificẽt, quod obſeruat in materia voti Frãciſcus Suarez, & mox examinabitur. In referẽdis votis ex Ribadeneira hoc loco auctor eſt vſus, vt arbitror, ex dicc Hiſpanico, in quo Latinè interpretando ſecuta eſt aliqua diuerſitas à duabus eiuſdẽ Latinis editionibus annorũ 1572. & 1586. quæ ſunt plane conformes. In re conuenit cũ Petro Maffeius. Orlandinus addit votũ de non accipiendo quidquã pro Miſſæ ſacrificio; quod non negant alij; ſed hic, vt alias dixi, & archiuũ ſcrutatus eſt diligentius, & poſt alios ſcripſit. Hi omnes conueniunt, incluſum ab illis voto, acceſſum ad ſummũ Pontificem, vt pro ſuo arbitratu, ſine vlla exceptione ad ſalutem animarum ijs vteretur: ſi profectio atque ſtatio Heroſolymitana minime ſucceſsiſſet ex optato. Igitur, quamuis ſummo iure agẽdo, licuiſſet Ignatio intrare in Ordinem nouũ in tempore; tamen non erat expediens. Primum ratione ſociorum ob fidem illis datam, quorum moraliter, ciuiliter naturaliter loquendo, erat habenda ratio, cauẽdũq; ne offenderẽtur. Intererat eorũ plurimũ habere ducẽ in peregrinatione Heroſolymitana, peritũ nauigationis, locorum, periculorũ, cuiuſmodi erat Ignatius, qui iã ſemel ſancta loca luſtrauerat. Adde quod tamquam orphani ſine ſpirituali patre relinquebantur, quibus cura paterna, ſaltem ſpiritualis, opus erat. Deinde reſpectu

C. Scriptura de voto &c. 1. Cor. 10. L. 1. de aquæ quotid. & eſt. Suar. t. 2. de relig. l. 6. de voto c. 18 n. 14. Maff. l. 2. c. 21. Orl. l. 1. n. 91.

Papæ

Papæ non expediebat transire ad aliã Religionem. Quoniam eius, tamquam Vicarij Christi, maximũ omniũ erat habenda ratio. Hic enim ex alijs socijs, qui Deo reddere votũ suũ cupiebant, intelligere potuisset. Ignatiũ quoq; ducé eorũ eodem voto adstrictum fuisse. Quapropter desperata nauigatione & permansione in Palæstina maximè decebat, vt ad pedes Pontificis accederet, & ab eius nutu pẽderet. Deniq; obseruandũ est, decreatum illud de addédo tertio voto obedientię (non Vicetię sancitum, sed Romæ an. 1539) non esse idoneum argumentum ad probandum, nullã anno 36. fuisse de nouo vitæ instituto condendo deliberationem. Tam multa enim antecesserant, vt in Ignatio nulla possit tergiuersatione celari; in socijs non possit probari contrarium, vt paulo post docebitur.

Infra §. 23. n. 86.

§. XXIII. D. CASTALDVS.

« 85. Reliquũ est, vt data fides ab Ignatio socijs seruetur. Et quidẽ mi-
« nime suspicor, moratum virum, suscepta
« fidei seruatorem, voluisse ingenuos homi-
« nes carissimosq; deserere. Egit igitur cum
« Caietano Ignatius: si hic annuisset, socios,
« quos è Gallia præstolabatur ad paucos
« menses expectatis, forsitan communicato
« confirmatoque consilio omnes sub nostri
« Ordinis legibus simul viuere, simul mori
« statuissent.

Ad §. 23. Iulij responsio.

Supra §. 21.

86. Bene est, quod hoc loco Castaldus confitetur ab Ignatio socijs fidẽ fuisse seruandam: quod ego paulò ante vrgebã vehementer, proinde asserit non fuisse deserturum eos duabus de causis, & quod ingenui essent homines, & quod carissimi. Docet, modũ non deserendi esse secũ eos adducere in eundem Ordinem. Respondetur, hoc dici plane diuinando, quod non videtur diffiteri auctor cũ adhibet aduerbium *Forsitan*, à conscientia monitus friuolam esse coniecturã, nec tutum effugiũ, excogitatũ lecta mea prima confutatione, & cognita deserendi socios absurditate. Osterdo iam quam longè absit à similitudine veri hoc effugium, tum ex parte Ignatij, tum sociorũ. Hic quidẽ, si tentasset illorũ animos, & ad intrandam nouam Religionẽ inuitasset, suam prodidisset inconstantiã & leuitatem: de qua satis diximus. Deinde quia nullũ ius ciuile, aut canonicũ habebat in illos, haud sperare poterat, se illos in suam sententiã tracturum. *Nemo promittere potest pro facto alieno*, vt iura clamant non vno in loco. Liberi erãt, & suæ spontis in ijs, quæ votis conceptis non cõprehendebantur. Itaq; parum prudenter Ignatius adeo incertus de sociorũ voluntate, cũ Caietano egisset de socijs secũ perducẽdis, quorũ nõdum esset explorata voluntas, quã sine dubio sciebat esse alienam à vita solitaria, ex diuturna consuetudine, ex votis simul nuncupatis, ex spiritu, quem ipse tamquam magister ijs insufflauerat. Expressit id Maffeius, cum scripsit de ipsis ab Ign. excultis magisterio spiritualiũ exercitiorũ: *Vehementi qua dã spiritus motione sese non quidem in vmbrã ac solitudinem, sed in solem ac puluerem euocari ad prælia Domini prælianda senserunt.* Bruno Loher Cartusianus in epistola dedicatoria operũ Henrici Harphij ad Ignatium viuũ & socios, ait vndecim illos *se totos animabus lucrãdis* mancipasse. Hoc munus lucrandi animas in solitaria vita non exercetur. Quid si post eorum aduentum, & exploratam voluntatem illi recusassent omnes, aut maior pars hanc nouæ vitæ susceptionem? Quid fecisset Ignatius? Si Ordinem nouellum intrasset, ex confessione Castaldi fuisset violator fidei, sociorumq; desertor. Si non intrasset, imprudentiæ & instabilitatis notam incurrisset, tum apud Patres S. Nicolai, quibuscum egisset de vita eorũ ineunda; & nimium de socijs sibi promisisset: tũ apud suos, quos post tot annorum amicitiam, contubernium, societatem, itinerum labores, alia vitæ ratione proposita, deserere cogitasset. Quid si Patribus S. Nicolai homines ignoti, extranei doctrina Scholastica eruditi, multi numero, amicitia fœderati arctissima, minus placuissent? vereri poterant, ne pusillum gregem tam multi viri docti ad suum nutum moresque conuerterent,

Supra §. 80.

L. Sicut reus ff. de fidei iuss. L. inter stipul. ff. de stipulat.

Maff. l. 1. vitæ c. vlt.

Br. Loher ep. dedicat. Henr. Harph.

insti-

institutumq́; recens, & nondum firmissimis fixum radicibus pro suo arbitratu cõmutarent. Nec illud quod ait de expectãdis socijs *ad paucos menses*, stare potest. Nã illi nonnisi sub finem Ianuarij 1537. ad diẽ conuersionis S. Pauli peruenturi erant ex condicto; quamuis ob tumultus bellicos aliquot dies anteuerterint. Si colloquium Beatorum accidisset sub finẽ anni 1535. expectasset Ignatius plusquam annum. Si an. 1536. ineunte, integrum annum: Si mense Martio: ferè annum: Si Aprili & alijs mensibus vsque ad Octobrem; non potuissent dici pauci menses. Pauci fuissent duo, tresue menses: at tribus quatuorue mensibus ante finẽ Ianuarij anni 1537. B. Caietanus Neapoli degebat, vnde Romam ad comitia discessit. Nec mirum si modus hic excogitatus ad cautelã deducat in tam multas angustias, quoniam, vt philosophi & Imperatores legumlatores obseruarunt: *Dato vno absurdo alia sequuntur.*

Ar. l. 1. phys. t. 10. L. ratas. C. de scin vendit. Aut. vt iud. sine quo. Et. §. considerauimus. coll. 2. Glos. ibi. ver. Illicito.

87. Respectu sociorum parum speranda erat ista persuasio, & expugnatio voluntatis. Primum quidem, vt significatum est, quia liberi homines & sui iuris, non mancipia: nullo iure Ignatio subiecti, vt eius imperio parere cogerentur: diuersis in regnis nati, sub diuersis regibus ac principibus: proinde non vnius naturæ, cõplexionis, affectus, propensionis; Castellani, Lusitani, Nauarri, Galli, Allobroges. Deinde magnam Parisijs constantiam in susceptæ vitæ rationibus ostenderant, vel absente Magistro Ignatio, inter multas & difficultates & illecebras, vt Orlandinus tradit. Rationes aũt vitæ erant, vt dictũ est paulo ante, cupiditas spiritualis animarũ quęstus à solitudine aliena, per studium doctrinarum, & ministeria laboriosa. Oculos item aperuerant illis & ætas, & doctrina, vt non facile vllus posset tã benè oculatis imponere. Tertio faciunt cõtra Castaldum ea, quæ ipse sæpè inculcat, nullo eos voto religioso adstrictos fuisse illo anno: nondum quidquã de vita religiosa statuisse: cũ de superiore cunctis præficiendo ageretur, restitisse. Hinc argumentor hac ratione. Si subiectionem, vota, vitamque religiosam

Orl. l. 1. n. 92. & 103. Supra n. 84.

refugiebant inter amicos & notos: non erat spes fore, vt adstringi votis, & vlli subijci paterentur ad vitam religiosam suscipiendam in Ordine ignoto, veteri relicto magistro. Non diffitetur Castaldus id fuisse futurum difficillimum: at non solum in iure ciuili, sed etiam in actionibus moralibus, & vitæ negotijs, valde difficilium & impossibilium idem est iudicium.

L. apud Iulian. §. constat. de leg. 2.

§. XXIV. D. CASTALDVS.

88 Hinc etiã facili manu deduco firmum non esse; quod Nigronius asserit, Lutetiæ scil. multo ante hæc tempora Societatem Iesu pluribus adstrictam votis coaluisse: & propterea B. Caietanum nostrum non potuisse noui Ordinis institutionem præuidere. Perlegat quisquis est lector, quę Ribadeneira tradit ab initio li. 2. vsq; ad 6. caput, in quo narratur Ignatij in Venetorum ciuitatem aduẽtus an. 1536. & iudicet an coaluerit Societas aliqua votis adstricta, an Ordo institutus, an noua condita Religio, an de alio vitæ instituto probando mens, aut consilium fuerit.

Ad §. 24. Iulij responsio.

89. Quum ego scripsi Societatem Iesu pluribus adstrictam votis coaluisse, propriè locutus sum, vt decebat Religiosum veritatis amantem, qui non egeret amplificationibus, aut catachresibus ad sua probanda. Non enim scripsi Religionem, quę Societas Iesu dicitur formatam esse; cum sciam nõ posse Religiones auctoritate priuata, sine sedis Apostolicæ approbatione, iure canonico vetãte institui. Quapropter nomine Societatis intellexi cœtum, sodalitium, cõgregationem aliquot virorum, qui Societatem quandam inter se conformauerant, & coagmentauerant, tanquam futuræ Religionis inchoationem. Est vsitatum in Ecclesia Catholica, vt qui Religionem aliquam instituere meditantur, socios aliquot sibi adiungant, certis quibusdam legibus sodalitatem vinciant, finem & munera sibi præstituant, quo facilius præbeant Pontificibus specimen, cuiusmodi Religionem suam esse cupiunt. Quo tempore ante Papæ approbationem non dicuntur Religiones, sed congrega-

c. fin. de relig dom. c. vn. eod. tit. in 6. Clem. 1. eod. tit.

tiones, aut quid simile, quod cõgregationi respõdeat & æquetur. Vidimus id factũ à S. Dominico auctore Ordinis Prædicatorũ: de quo legitur in Romano Breuiario canonicarũ horarũ, Romam venisse cum Episcopo Tolosano ad Lateranense concilium, *Vt Ordo, quem instituerat* ab Innocentio tertio confirmaretur. Idẽ videmus præterito sæculo in congregatione clericorũ regulariũ de Somascha instituta per vener. virũ Hieronymum Aemilianũ patriciũ Venetum ad subsidium Orphanorũ & alia opera pia, an. 1528. Quæ quamuis à Paulo III. & alijs Pontificibus ornata fuerit multis priuilegijs, tamen nõ nisi à Pio V. in Religionẽ erecta fuit an. 1568. vt docet Andreas Stella ex illo Ordine, atq; apparet in bulla Pij v. relata à Laertio Cherubino, & in alia bulla Clementis VIII. an. 1593. edita, & ab ijsdem prodita. Congregatio pariter ministrantiũ infirmis instituta primũ fuit à Camillo de Lellis auctoritate priuata: deinde cõfirmata per Xystũ v. 1586. postremo erecta in Religionẽ formatam à Gregorio XIIII. an. 1591. vt apparet in diplomate ab eodẽ Laertio transcripto. Possem alia pro hoc loco exẽpla noua & vetera, sed hæc tria sufficiunt. Nostra item Societas conflata est prius vt cõgregatio; postea formata Religio an. 1540. & ego cum scripsi an. 1536. coaluisse societatem, intellexi congregationem, non Religionem approbatam.

And. Stella l. 3. vita Hier. Æmil. Laer. t. 2. in Pij. v. n. 78. & in Clem. VIII. n. 22.

Id. in Greg. 4. n. 17.

90. Reliquũ est, vt probem ante an. 1536. aliquã societatem coaluisse inter Ignatiũ & socios, ne coarguar falsitatis. Prima probatio ex Paulo III. in diplomate primo cõfirmationis, qui de primis patribus nostris nominatis sic ait: *Iam dudum è diuersis Mundi regionibus discedentes, in vnũ conuenerunt, & socij effecti, abdicatis huius sæculi illecebris, eorũ vitam perpetuo dom. nostri Iesu Christi, atq; nostro & aliorũ successorũ nostrorũ Romanorum Pontificum seruitio dedicarũt, & iamquã pluribus annis laudabiliter in vinea domini se exercuerunt* &c. quæ verba repetuntur à Iulio III. in sua cõfirmatione decennio post. & paulo post Paulus: *Cũq; ad hanc almã vrbem se contulerint, & in charitatis vinculo persistentes, ad perficiendã & cõseruandã eorũ societatis in Christo vnionem, quandã viuendi formulã* &c. Expendat Castaldus illa verba, *In vnũ conuenerunt, & socij effecti.* Si facti socij, ergo illa vnio erat societas. Addidit Iulius III. in sua confirmatione: *exemplaris ac religiosa vita socij effecti*: quæ vita exemplaris & religiosa, i.e. pia, & deuota, est illa, quã Lutetiæ viuere cœperant. Consideret quoq; illa: *Ad perficiendam & conseruãdam eorum societatis in Christo vnionẽ*: Si venerunt Romã, vt vnio societatis perficeretur, ergo erat iã facta; quia non perficitur, quod nondum factũ est. Item non conseruatur, quod nondum est; est enim prius esse, quàm conseruari. Nec dicat, illã vnionẽ & societatem esse factam an. 1539. in cõuentu Vicẽtino, qui vt sæpè dictũ est, fuit Romanus; quia Pontifex intelligit multo antiquiorem vnionẽ per illa verba: *Iamdudum, & iam quãpluribus annis*, qui loquendi modus longum temporis spatium denotat; & annorum interuallũ, non mensium, quod intercesserit inter conuentũ Romanum & datũ Bullæ. Confirmatur hæc temporis longitudo ex eo, quod Papa dicit sese dedicasse istos socios seruitio perpetuo Christi, suo, & aliorum Pontificũ successorũ, quæ dedicatio facta est Parisijs an. 1534. per votum vltimũ de offerendis se Põtificis imperio. Itaq; Pauli sententiâ cõglutinata erat ante an 36. societas. Id Papa asserit: Castaldus negat? Secunda probatio conficitur ex definitione societatis, quæ non est aliud nisi duorum, aut plurium conuentio propter aliquod commodum, vt in Asceticis probaui. Hic decem erant viri: finis spectatus, ex votis colligitur, quęstus animarum Fidelium & Infideliũ: conuenerant inter se, præcipuè cum vota illa simul omnes spoponderũt. Probatum est in processibus B. Ignatij & B. Francisci, vt habetur ex relationibus factis Papæ an. 1622. mense Ian. in consistorio secreto & publico, ab eodem Ignatio collectos socios eiusdem propositi, & B. Franciscum inter eos socios aggregatum fuisse Lutetiæ. Sub magistro spirituali Ignatio diu, sub Petro Fabro illius absentis

Paul. III: in bulla confirm. Soc. apud Laert. Cherub. sub, n. 25.

Part. 3. tit. n. 39.

vica-

vicario aliquandiu vixerunt: vna omnes in Italiam & commensales, & cõtubernales, quantum angustiæ patiebãtur hospitiorũ venerunt. Vna pariter in Palæstinam nauigaturi erant ex voto. Prẽterea morem eũdem orandi, discutiendæ conscientiæ formulam, tenoremq; viuendi retinebant. Si non erat hæc societas, nulla in Mundo societas inuenitur.

Orl. l. 1. n. 19. 91. Tertia probatio sit ex historicis Orlandinus anno 1534. narrat cohortationem primam ab Ignatio habitam socijs de fine societatis, quam intra suum pectus erat architectatus; & post eam narrationem ait: *Annuerunt ergo sanctissimis Ignatij votis adv-num omnes, polliciti, se illum vltro quocunque pergeret, secuturos: & qui se prodere atq; indicare vicissim non audebant, hac excitati occasione se pandunt, posita q; persona, non vt ignoti, externique amplius, sed vt familiares ac fratres ex eadem disciplina, ex eodemq; nati parente, mutuis se officijs & amoris significationibus complectuntur.* Ecce consensus in societatem quem secutus est decretum de votis nuncupandis. His emissis ait Orlandinus: *Post societatem conditam eum diẽ, quasi primum eius natalem, singulari religione ac memoria coluerunt.* Post hæc refert ab Ignatio leges sodalibus præscriptas,

Maff. l. 1. e. vlt. quę inter nos hucusque seruantur. Ę sunt quotidiana meditatio: confessio peccatorum & Eucharistiæ sumptio hebdomadaria: mutua familiaritas, collationes spirituales & litterariæ, annua votorum renouatio. Et quoniam communitas recti esse non poterat, mandauit vt charitatem alerent mutuis visitationibus, inuitationibus, & communione bonorum. Denique anno 1531. idem historicus cœtum hunc ita temperatum indigitat *Nouellam societatem*. His congruentia Maffeius scripsit.

Orlan. l. 1. n. 95. In Ribadeneira vero, quem Castaldus negat quidquam de societate inchoata tradidisse, quædam ego notaui, quæ meam positionem probant. Is lib. 2. c. 4. tradit Ignatium eo tempor inclinasse, *vt aliquot comilitones, consiliorum suorum socios sibi aggregaret*: ipsumque caput inscribit his verbis: *Quos socios sibi adsciuerit*. Quorsum autem sibi socios & commilitones adsciscere, nisi vt societatem aliquam instituere-

Rib. l 2. c. 4. & seqq. ret? Recensetin eodem capite vota simul ab omnibus concepta; eosque exinde concordissimam vitę consuetudinem, rerumque omnium atq; animorum communicationẽ habuisse. Quid est hoc, nisi societatẽ quandam fuisse conflatam? cap. 5. Socios appellat. Cur hoc, nisi ob societatem contractam? cap. 7. de itinere, quo pergebant in Italiam: *In rebus decernẽdis plurium sententijs stabatur, idq; summa concordia.* At hic mos sodalitiorum & congregationum esse solet. Accedunt illi scriptores, qui Parisijs natam societatem esse tradunt, aut certe inchoatam. *Quod apud multos vnum inuenitur*, inquit Tertullianus, *non est erratum, sed traditum.* Et Cassianus: *Indubitatæ veritatis manifestatio est, auctoritas vniuersorum.* Bruno Loher Carthusianus, ad B. Ignatium & Societatem dedicans opera Henrici Harphij: *Parisijs adiunctis tibi aliquot eiusdem propositi viris, vndecim numero, communi consensu statuistis Mundum penitus contemnere, & totos vos animabus lucrandis mancipare.* Qui contemnunt Mundum communi consensu, inchoant religiosam familiam: Franciscus Montanus in apologia pro societate Iesu, aduersus Philippicam Antonij Arnaldi causidici Parisiensis dicentis in Hispania societatem esse natam, respondet anno 1595. *Societatem Iesu cœptam esse, primasque radices egisse in Academia Parisiensi decem magistris eiusdem Academiæ eandem bono omine auspicantibus; quorum primus erat Ignatius Loiola B. scalinus.* Auctor innominatus responsionis apologeticę ad uersus criminationes Anticotoni, in apologia sexta, pagina mihi 248. *Iesuitarũ societas in Gallia, atq; in Gallię metropoli Lutetia, in D. Barbaræ collegio nata est.* Florimondus Ræmondus agens de electione sociorũ in Gallia, *Notã*, inquit, *societatẽ instituere decreuit.* Martinus Olauius scribẽs ad Sorbonicos doctores è quorũ collegio ipse fuerat, referẽte Orlãdino, ait ex vrbe Parisiensi *Prima societatis semina prodijsse*, Iacobus Gretserus noster cõsolatis Simo-

Tertull. l. de præscr. c. 28. Cass. l. 1. de Incarn. c. 6. Bruno Loher ep. ad Ign. & societ. Resp. apol. adu. Anticot. a. pol. 5. Florim. Rem. de orig. hæres. l. 5. c. 2. Mart. Olau apud Orland. l. 15. §. 58.

Iac. Gretſ. conſol. ad Lith. Miſen.
Id apol. 2. adu. Lithū. l. 1. c. 2.

nem Lithum Miſenum hæreticū, reſtitutione ſocietatis in Galliam mœrentē: *Pariſiis Societas noſtra nata eſt & inita; prima eius cunabula ſpectauit Lutetia.* Idem in apologia ſecunda pro B. Ignatij vita cōtra eundem Caluiniſtam: *Pariſiis fundamenta Societatis iecit, ſocioſq; huius inſtituti ſibi aggregauit.* Et poſt: *Nō enim fieri poteſt, vt hæc ſementis à B. P. Ignatio in ſolo Gallicano iactatio exoptatiſſimos fructus nō ſubmittat.* Quinetiam aliqui deſignant annum præteritum quartū præteriti ſæculi, & tēplum in quo ſunt primū illa vota ſuſcepta. Idē Gretſerus apologia prima contra eundem Lithū, enumeratis primis Patribus ait: *Iniere primū ſocietatem Pariſiis an. 1534. ſeptem priores, ad quos acceſſerunt tres poſteriores anno.* 1535. Iacobus Gualterius noſtri pariter ordinis in tabulis chonographicis anni 1534. *Iacta*, inquit, *ſunt prima fundamenta Societatis Ieſu in Monte martyrū.* Iacobus Bidermanus in compendio vitæ breuioris Ribadeneiræ, ſiue in rebus geſtis à B. Ignatio: *Quo tempore Hiſpania Galliaq; hoſtilibus odijs diſſidebant, Hiſpani Galliq; iuuenes æternam ſocietatem coiuere.* Subijcit leges ac vota nuncupata in Monte martyrum, quibus ea ſocietas coiuit. Ludouicus XIII. Gallię rex Chriſtianiſſimus, in litteris manu ſua exaratis ad Gregoriū XV. Pont. Max. an. 1621. die 24. Febr. pro canonizatione B. Ignatij; inter alias rationes, quibus mouetur ad petendā eam tam enixè, eſt quod ſeruus Dei Pariſios venerit ad capeſſendā eruditionē; ibidem ſibi pios commilitones adiūxerit, & in templo Montis martyrum Gallię Apoſtolo religioſe conſecrato, fundamenta Societatis initiaq; poſuerit. Huc ſpectat enuntiatū Nicolai Bobadillę vnius è primis ſocijs dicentis diem aſſumptæ B. Virginis anni 1534. natalem fuiſſe Societatis. Deniq; auctor vitæ breuis B. Ignatij poſt eius canonizationem editæ atq; ex proceſſu extractę, deſignato templo eodē & votis recenſitis, ait: *Et hæc fuit prima delineatio ſocietatis, qua poſtea melius expreſſa eſt.* Itaque an. 1536. non erat quidem Religio, neq; Societas proprijſsime religioſa; aut Ordo canonicè inſtitutus: ſed ſocietas pia, ſpiritualis, & inchoatio quædam religioſi Ordinis mox futuri: non illa quidē adſtricta votis ſubſtantialibus Religionis, ſed alijs votis, quæ tamquā ſacra vincula eorum animos coniunxerant adeo, vt mirifica concordia inter ſe coaluerint, vt loquitur Maffeius. Hic locus opportunus videtur monēdi lectorē Cæſaris Cāpanæ hiſtorici Itali: qui in vita Philippi II. regis Hiſpaniarū loquēs de Origine Ordinū clericorū regularium Theatinorum & Societatis Ieſu, laudauit quidē hanc beneuolo animo, cuius in cauſa gratiā illi habemus ampliſsimā, ſed nō videtur à benè perito rerum noſtrarū edoctus. Ait enim, Societatē *ſumpto pro exemplari Theatinorū Ordine, ac bonis illius ſtatutis, conatā efficere melius beneficiū erga peoximos, largius vita actiua ſe dediſſe.* Hæc ſunt verba Cæſaris Latine reddita. Duabus in rebus deceptus fuit ab ijs, à quibus hāc narrationem accepit. Primū quidem exēplar ab illo Ordine ſumere nō potuit: quoniā, vt probatum eſt an. 1534. Pariſijs Societas modo declarato coaluerat valde diuerſa: quo tēpore & loco nihil in Gallia de illo puſillo grege perlatū fuerat. Neq; quo tēpore S. Ignatius Venetijs fuerat Ieroſolymā peregrinaturus, inſtitutus erat ille Ordo: neq; quidquam in Societate delineata mutatū eſt Venetijs an. 1537. Deinde apparet ex dictis quā multis in rebus tūc eſſent diſsimiles; in ratione gubernationis, in choro, in educatione iuuētutis & alijs miniſterijs proximè numeratis, vt qui diſcrimina conſideret attente, ne ſuſpicari quidem poſsit S. Ignatium illius vſum exemplari, qui tam multis ante annis Societatem in ſua mente alterius exemplaris auxilio formauerat.

Id apol. 2. adu Lith. l. 2. c. 1.

Iac. Gualter. tab. chronogr. 1534.

Iac. Biderm. in compend. §. 97. 98.

Lud XIII. Gall. rex epiſt. ad Greg. XV.

Maff. l. 1. vita e vlt. Caſ. Camp. p. 1. dec. 2. l. 11. vita Phil. II. reg. Hiſp. an. 1537.

92. Quærenti autē vtrum potuerit B. Caietanus præuidere Societatem futuram, reſpondeo, non eſſe abbreuiatam manum Domini, quin potuerit vir sāctus res futuras prænoſſe Deo reuelante ac prædicere. Si id feciſſet, vtilis fuiſſet B. Ignatio & gratiſsima prædictio. Nam per eam incitaſſet ſocios ad perficiēda cogitata & inchoata. verū non poſſumus aſſerere id tunc potuiſſe prædici, quod nō ſit veriſimile colloquium

Vita breuis edita 1622. cap. 12.

quiũ Caietani cum Ignatio, tum propter rationes dictas ac dicendas; tũ quia numq̃ & nusquã eius prædictionis facta est mentio à B. Ignatio ad Sociorum consolationem. Quinetiam ne illius quidem propensionis ad Ordinem nouum & congressus, in Societate auditus est minimus aliquis rumor, sibilus, susurrus: qui vel ab Ignatij ore poterat excidere, & ab ipsis Theatinis ad nostros sodales penetrare, dum Venetijs morabantur; dum Iacobus Laynez an. 1545. eo concesserat Patauini collegij stabiliendi gratia. Scio argumenti rationem ab auctoritate negatiua non admodũ validam esse: valere tamen potest, cum omnibus circumstantijs consideratis Titius sciturus fuisset, si ita esse potuisset: dicturus, si ita esse putauisset. Petrus Faber, Iacobus Laynez, Ioannes Polancus in cõmentarios retulerunt initia societatis. Ludouicus Gõsaluus multa expressit ex ipso Ignatio biẽnio antequam excederet è vita. Hieronymus Natalis & Petrus Ribadeneira quidquid ex ore B. Patris excidebat, studiosè colligebant, & tanquã sagacissimi venatores vndecunque poterant inquirebant huiusmodi res, & in aduersaria conferebant. Extat memoria consuetudinis habitę cum Carafa, vel ab ipso Ignatio, cur non etiam dixisset aliquid de colloquio cũ Caietano, si accidisset? si dicas Ignatium conticuisse, ne se proderet socijs arundinem vento leuitatis agitatum, esto: sed si metuebat à socijs notam inconstantiæ, non est verisimile attentasse vitæ mutationem, vnde ipsius constantiæ laus inobscurabatur. Nec malitiose occultatam nunc dicas hãc prædictionem, quia post probatam Ecclesiæ & ab Ecclesia sanctitatẽ Ignatij tã insignẽ, vt iudicio sed. Apost. missæ sacrificiũ meruerit in suũ honorẽ, & tãdẽ publicã solẽnemq; relationẽ in catalogũ SS. non videtur fas esse istuc de eo suspicari. Adde quòd si colloquiũ cũ prædictione accidisset, sine dubio ad aures Carafæ peruenisset. Erat tunc Venetijs gubernabat Ordinem, & forte etiã cœnobiũ S. Nicolai, primus dignitate, conscium omniũ primũ decebat esse virũ id auctoritatis. At per Carafam, neq; ad patres Theatinos, neq; ad nostros fama vlla manauit siue colloquij, siue prędictionis. Adde quòd si sciuisset, numquã attẽtasset mutare institutũ nostrum quod nosset à Deo inspiratum Ignatio. Postremo si Societas, vt congregatio conflata erat, quemadmodum demonstraui, & actuosa formata, vt patet ex fine in votis explicato, quid quæso prædixisset Caietanus, si demus eos inter se collocutos? Ad summũ prędicare poterat cõfirmationẽ Papæ, quæ futura erat. At nõ dicitur hoc prædixisse Caietanus: sed Ignatiũ fore fundatorẽ actuosioris Religionis presbyterorum. Verum hęc coaluerat, hoc est, opera Ignatij coagmẽtata erat: presbyteri socij adscripti expectabantur in dies: vota exprimebãt finẽ & ministeria actuosa: & si de cõgregatione loquamur, hæc erat facta: si de Religione, hæc erat inchoata, ita vt dicere possimus materialiter tunc extitisse nostrã Societatẽ, nõ formaliter. Formam religiosæ Societatis accepit triennio post, aut ad summũ quadriẽnio. Ceterũ apud Platonẽ & Aristotelẽ *principiũ est dimidiũ totius*; & apud iurisconsultos, *cuiusque rei potißima pars principiũ est*, quod habetur in prima lege de origine iuris. Pręterea *Pro facto habetur, quod de proximo est faciendũ*, vt Bartolus colligit ex iure: vnde vulgare Glossæ dictũ: *Habetur cinctus, qui statim est cingendus.* Adde & illud eiusdem Bartoli, *cum opus erat cœptum, & non remotum, sed propinquum habetur pro perfecto, & destinato operatur*: qui id multis legibus probat. Cũ igitur societas inchoata esset, & propinqua perfectioni, vt euentus probauit, pro facta & perfecta habebatur.

Plato dial. 6. de leg. Ar. l 5. polit. c. 4. sectio. 10. probl. 15. L. 1. de origiurũ.

Bart. & Glossa in L. penult. de milit testam. Id. l. ceterũ. §. vlt. de leg 1. ex l. liberos. § ad præscripti: de leg. 2. & l. etsi nõ sũt. § quid ergo de auro & arg legato.

§. XXV. D. CASTALDVS.

93 PRæter illa enim, quæ, vt mox tradidi, Nigroniũ conuincunt, cõsulamus Orlandinum nouissimum harum historiarum descriptorem. Is l. 2. à §. 58. clare ostẽdit ante an. 1539. in quo Vicẽtinus patrum congressus celebratus est, nõ fuisse de Societate condenda consilium. Imò & in ipso cõuentu quãplures in contrariã abiere sententiam. *Dicebatur*, inquit Orlandinus, *in eam partem, quæ suadebat nihil noui Ordi-*

" nis assumendum, in primis verendum esse, ne
" cum apud non paucos homines deprauatos, Re-
" ligionem ipsi conderent, procurationi aliena
" salutis, cui prouisum volebant, officerent. Hęc
" ille. vnde duo licet sedulò colligere. Al-
" terum Lutetiæ non aliud Ignatij socios
" decreuisse, nisi procurationi alienæ salutis
" vacandum in primis esse, modum verò nõ
" instituisse. Alterum potuisse Caietanũ an.
" 36. de nouo Ordine condẽdo differere, cũ
" non nisi 39 Iesuitam Religio coaluerit, &
" eo fuerit auctoritate Pontificis firmata.

Ad §. 25. Iulÿ responsio.

Ribad l. 2. c. 13. Orlan. l. 2. n. 41. Maff. l. 2. c. 7. Tursell. l. 1. vita Bi Xauer. c. 7. Lucena. l. 1. vita B. Xau. c. 6.

94. Ribadeneira tradit an. 1538. socios omnes Romam ad Ignatiũ venisse circa mediam quadragesimam ex Italiæ vrbibus, vbi laborabant in vinea Domini. consentiunt reliqui historici, atq; in primis Orlandinus, ex quo probatum est illũ cõuentum anni 1539. de forma Religionis, nõ fuisse Vicetiæ, sed Romæ peractum, vt ſępè dixi. Verba hic à Castaldo transcripta ex Orlãdino neminem mouere debent, quoniam prolata sunt in consultatione, vbi ex prudentiæ regulis, dici solent ac debent omnia, quæcumque possunt illuminare mentes consultorum ad consilium omniũ optimũ capiendum, vt dixi superius. Ad hęc certum habere debet Castaldus multo plura in Ignatij mente insedisse, quàm in animis sociorum de forma futuræ Religionis: longius prospexisse illum in futurũ, quàm sodales. Erat enim inuentor operis & architectus ipse, non illi: pro nde potuit euenisse, vt illi, quamuis ad Societa ẽ con flandam animis & corporibus cõueniissent, tamen nihil de perpetuitate Societatis cogitassent, quod in Ignatij erat alta mente depositum. Idem iudicium faciendũ est de alijs Societatis circumstantijs, quæ veniebant subinde in consultationem; cum Ignatius prudenter vellet illos sponte, suauiterque descendere in eam formam, quã ipse conceperat & diuina illustratione delineauerat. Præterea notum esse opinor Castaldo, Nihil simul factum & perfectũ esse in hoc Mundo, vt sapientum cõsensus est. Hinc est, quòd Natura, & ars imitatrix naturæ, (quod admonet S. Thomas) in rebus faciendis procedunt ab imperfecto ad perfectum; vt videre licet in procreatione hominis, & in pictura. Similiter diuina prouidentia in Ordinibus religiosis condendis se gerit, qui subinde accipiunt incrementa maioremque perfectionem. Testis sit ipse Castaldus in Ordine suo. Pariter in nostra Societate se res habuit. In Monte martyrum ad Parisios fuit tabula inchoata, primis lineis adumbrata & delineata; cum primi socij vota illa emiserunt, quibus Societatis finis continebatur, & quandam viuendi formulã oretenus ab Ignatio acceperunt; & ministeria, quę postea sunt in Religione stabilita, exercere cœperunt. In conuentu Vicetino anni 1537. quasdam sibi leges imponũt, vt de viuẽdo mẽdicato, de ratione cõcionandi, de nomine Societatis Iesu, & alias, quæ fuerunt veluti lineæ coloratæ, tabulãmagis visendã efficientes In cõsultatione Romana an. 1539. decreuerũt colores omnes in eam inducere, vt egregia figura perficeretur; hoc est perfectiones maiores, per quas perpetua fieret, & omnib. numeris absoluta. Lineamẽta externa in cõfirmatione sedis Apostolicæ accepit & apparuit perfecta. Itaq; illæ cõsultationes non tam erãt de re, quàm de modo: non de instituenda Societate, sed de stabilienda, perpetuanda, perficienda. Ex his procliue est respondere duabus consecutionibus à Castaldo factis. Ad primã dico Lutetiæ Societatẽ institutam, inchoatam, conceptã: & non solum procurationẽ alienæ salutis constituisse tanquam finẽ, sed etiam paupertatem, exercitia spiritualia quotidiana, studiũ doctrinarũ, prędicationẽ ad Infideles, & alia quæ superius ob- *supra §. 24. n. 91.* seruata sunt, tanquam media & instrumẽta finis illius consequẽdi Deerat modus ille perfectus, quẽ Romę accepit, quoniam, vt est præmissum, paulatim per incrementa perfectionum successu temporis perficiebatur. Ad alteram consecutionem tollendam negó Societatem non extitisse ante confirmationem Papæ, vt multis validisque argumentis probatum est.

S. Th. 2. 2. q. 1 ar. 7. ad 2.

supra §. 24 n. 91.

95. Quia vero posset Castaldus verba quę-

dam

dã Orlãdini producere quæ videãtur meæ definitioni repugnãtia, ideo existimo pretiũ operæ illa notare, ne difficultatẽ effugere videar, atq; ita interpretari & cõciliare, vt neve l aliquid inde absurdi inferatur; vel historicus sibi cõtradicere putetur; sic vtrumq; ius in interpretatione fieri iubet. Primus locus est initiò an. 1539. de quo sic scribit: *Annus cũcta Societati faustus ac fortunatus, & quasi natalis illuxit.* Ex hoc colligit Castaldus, non ante hunc annũ Societatem extitisse, quæ hoc anno nata est. Respõdeo significasse Orlãdinum lętitiam ortam ex eo, quòd anno 39. mense Septembri Pontifex regulam Societatis sibi oblatam, & in ea Societatem viuę vocis oraculo laudauit & approbauit: quod postea narrat ipse & alij duo scriptores vitæ B. Ignatij. Proinde iure vocat, quasi natalem Societatis: formatę nimirum religiosę, perfectæ, adiecta particula *Quasi*, quia natalis sine vlla limitatione fuit quadragesimus, quo anno diploma datũ est. Quod autẽ Orlãdinus minime loquatur de Societate inchoata, planũ est ex dictis superius, inter quæ legitur illud eiusdẽ, in Ordine nostro diẽ XV. Augusti fuisse cultum *quasi primũ eius natalẽ*. Itaq; annus trigesimus quartus fuit primus natalis, quia inchoata & propemodũ concepta Societas: trigesimus nonus, quia quodammodo parta. Secũdus locus in eodẽ anno: *De ea in posteritatẽ propaganda, & vincienda certis legibus patres cõsensere.* Respõdeo perpetuitatẽ in Ignatij mẽte insedisse, alios de ea nondũ cõmuni consensu decreuisse. Tertius locus est: *Cõcordißimis prius animis vna conueniunt, vt de suæ familiæ statu, deq; re communi deliberent.* Hæc & horum similia verba Castaldo significare videntur, tum primum de condenda Societate cogitare cœptum, ante id tempus nullam extitisse Societatem. verum attentè legenti, alia occurrunt verba huic sensui repugnãtia. Huiusmodi sunt illa, anno 39. *quotidianis sociorum accessionibus amplificatam magis: Ne instituta Societas angustis suæ vitæ spatijs terminaretur; De familiæ statu deliberandum.* Etenim si Societas est amplificata, præerat sanè antequam amplificaretur: quoniam incrementum præsupponit quantitatem. Si agebatur de perpetuanda Societate instituta, ergo præcucurrerat institutio. Si denique deliberandum erat de familiæ statu, certè præerat illa familia, de qua deliberabatur. Anteuerterat scilicet imperfecta deliberationes has de ea perficienda. Quàm clara illa verba in conuentu Vicetino? ibi narratur decretum communi consensu, *vt hæc instituta sodalitas, Iesu Societas vocaretur.* Quàm perspicua illa in consultatione Romana? *Dictisque fine veritate sententijs, perspicua res omnibus visa, tam suauem tamque arctam Societatem afflatu S. spiritus, voluntateque ex tanta morum, nationumque dissimilitudine coagmentatam, omni spe retinendam.* Non igitur actum est in illo Romano conuentu de Societate condenda, sed de retinenda, quæ iamdudum florebat, ex verbis Orlandini, qui dissentire dicebatur.

L. 1. *Ne quid in loco sacro.* 1. *inter dilectos. de fide instrum.*

Orl. l. 2. n. 18.

Id. l. 2. n. 83.

Rib. l. 2. c. 17.

Maff. l. 2. c. 14.

Orl. l. 2. n. 25.

Id. l. 2. n. 59.

supra §. 24. n. 89.

supra n. 94.

§. XXVI. D. CASTALDVS.

96. VLtimo loco & illud inspiciendũ, est, an B. Ignatio ante hũc annum 36. reuelatum sit Societatis Iesu futurum sẽ esse parentẽ. Nigronius vt inferat Ignatiũ in illud consiliũ non venisse, vt nostro Ordini adscriberetur, citius quàm par erat, afferuit testibus ad idem confirmandum Petro Ribadeneira & Orlãdino vocatis Sed quid vterque Iesuiticæ historiæ scriptor affirmet, nõ me piget in medium proferre, quo infirmitas aduersarum ratio num eluceat.

Ad §. 36. Iulij resp. nro.

97. Suis propugnatis Castaldus, oppugnat nostra. Et primum euertere conatur reuelationem B. Ignatio factam de futura Societatis institutione, quòd videret ea reuelatione, suam narrationem prorsus concidere. Me nimis festinantem fuisse asserit, ad producendos in eius confirmationem testes Ribadeneiram & Orlãdinum, quorum auctoritatem in hac re autumat inualidam esse. Me non pœnitet produxisse testes omni exceptione maiores.

§. XXVII.

§. XXVII. D. CASTALDVS.

98. ET quidē quoad Ribadeneirā ſpectat, ingenue fateor integrū eius libru Hiſpano ſermone cōſcriptum, nō caligāte oculo, ſed peruigili conquiſitione me ſæpius legiſſe, nihilq; quod talē reuelationem ſapiat inueniſſe. Hæc mihi Nigronius obijciat Ribadeneiram hoc affirmare in Ignatij vita, quam Latinè edidit, cum de dono prophetiæ ageret. Fruſtra enim librū iactat, quē perpetua occultatione latere, multis ab hinc annis iterata diligenſq; multorū cōquiſitio cōprobauit.

Ad §. 27 Iulij reſponſio.

99. Hic incipit excutere Caſtaldus Ribadeneiram, & me cum eo, quòd illum non bona fide allegauerim. Fateor ipſe quoq; non extare illā reuelationē in vita Hiſpaniè ſcripta, quam tam accuratè legit. Non extat in Latinè ſcripta, neq; primæ, neque ſecundæ editionis. Et has ne per ſomnium quidem ego in probationem produxi. Legat attentius marginem ſecundę ac tertiæ editionis meorum aſceticorum cōmentariorum, & inueniet allegatum compendium vitæ B. Ignatij à Ribad. ſcriptum, in §. De dono prophetiæ. Quod quia non animaduertit Caſtaldus erupit in illam exclamationē, me fruſtra iactare librum perpetua occultatione latentem. Et ne hoc, quod iniuriā Ordini vniuerſo impingit, ſine vera defenſione prætereatur, reſpondeo primam editionem Latinæ vitę Neapoli prodiiſſe anno 1572. ex typographeo Ioſephi Cacchij. Secunda excuſa eſt anno 1586. Madriti apud viduam Alfonſi Gomezij. Eadem recuſa eſt anno 1587. Antuerpiæ in officina Plātiniana: & tertio edita Coloniæ an. 1602. à Birckmānis. Præſtiterūt in his omnib. bibliopoleis vęnales: nec effugerūt oculos lyncæos Simonis Lithi illius Caluiniani, qui quater eā vitā impugnauit. Tātum abeſt, latinā vitam à ſocietate occultatam fuiſſe, vt ſępius eam excudi mandauerit, quo facilius Beati virtus quaquauerſus vulgaretur. Longitudo viæ cauſa fortaſſe fuit quo minus Neapolim poſteriores editiones perferrētur; vel certe nō ſunt allatę, quòd prima editio illivę-

nalis eſſet. In Italia ſecundā editionem impreſsā nō arbitror, quòd iā extaret Italica ex Hiſpanico verſa & edita Venetijs ab ſolitis: tum quia per idē tēpus vita aliquātō breuius ſcripta ſtiloq́; accuratiore Io: Petri Maffęi, Romæ, Mediolani, Florētiæ ac fortaſſe alibi excuſa prodijt, quę typographis & bibliopolis Italis ſufficere viſa eſt.

§. XXVIII. D. CASTALDVS.

100. QVāuis difficilè in hanc partē inclinē, vt crediderim probatiſſimū virum hūc & fide plenū, talia de Ignatio protuliſſe. Nam ſi Latinam editionem Hiſpana Ignatij vitę conſcriptio ſubſecuta eſt, vt idē auctor in epiſtola ad lectorē faretur; qui fieri potuit, vt ſagaciſſimus hiſtoriæ ſcriptor reuelationem hanc ſemel narratam iterum reticeret? præſertim cum ceterarum meminerit, quæ tanti æſtimandæ non ſunt, ſi commune Religionis bonum ſpectetur. Nec ſilentio perimā, quòd prudentibus rerum æſtimatoribus illud eſſet In votis: Ribadeneiram fortaſſe in Hiſpana narratione huiuſmodi reuelationem conſulto prætereriſſe, quam nouerat falsò, vel incerto teſtimonio niti. Itaque tātum eā aduocāda ſunt, quæ ipſemet in præfata epiſtola, non ſemel repetit, ſeſe in hac ſecunda cōſcriptione multa caſſare, plura addere, ſingula magis probare certior de ſingulis factus. Cum & optimi hiſtoriæ ſcriptoris munus ſit ex antiquorum monumētis illa ſeligere, quę collatis ad inuicē rebus, vera eſſe probantur, illaq; omnino reſpuere, quæ falſitatis argui non difficile poſſent.

Ad §. 28. Iulij reſponſio.

101 Inter laudes Ribadeneiræ negat Caſtaldus reuelationē Quadrato factā ab illo potuiſſe narrari; perinde ac ſi eſſet cōuicta falſitatis. At eam narrauit in compendio, vt mox dicetur. Interim ſciat editionem Hiſpanicam, quam legit, eſſe poſteriorem Latina Neapolitana: ſed Latina Madritiana ſecuta eſt Hiſpanienſem, vt ipſe tradit in profatione huius ſecundæ Latinæ editionis. Reticuit reuelationem in vtraq; Latina, & in Hiſpanica, quia cum religioſiſſimus eſſet in veritate dicenda, noluit

Infra §. n. 103.

noluit prodere litteris quidquam, quod ipse pro certo non haberet, quamuis alijs certum videretur, sic loquitur in præfatione ad lectorem in secunda editione. Diuersa quippe sunt ingenia hominum in iudicando, vt apparet in tanta opinionum varietate, quæ in rebus moralibus cernitur, in tam multis libris & summarijs casuum, quorum scribendorum ob hanc causam nullus est finis. Itaque omisit in Hispanica & Latinis, non quòd falsam putaret, sed quod ipse tunc certam suo modo, suoq; iudicio non haberet. Aliud enim est aliquid falsum credere, aliud quamuis falsum non credatur, tamen non certum existimare adeo, vt tanquam verum litteris mandetur. Illam reuelationem falsam nunquam putauit Ribadeneira, sed non est factus de veritate certus suo modo ac securus, nisi processu B. Ignatij inchoato, in quo vidit quam solidis testimonijs niteretur. Quod autem huiusmodi reuelationum ad futuros Societatis progressus pertinentium notitiam habuerit aliquam, colligitur ex eo, quod in secunda editione Latina & in Hispanica anni 1595. scripsit, loquens de prudentia Ignatij rebus in gerendis. *Apparet*, inquit, *illi Deum ab initio vniuersæ Societatis progressum cursumque diuinitus ostendisse: & quam suaues atque vberes fructus, ex arbore quam ipse Ignatius plantabat & rigabat, dante incrementum Domino, Sancta Ecclesia perceptura esset.* Idque probat multis prædictionibus, quas referre longum esset, & apud ipsum legi possunt. Non scripsit, inquies, hæc in prima Latina; fateor, quia non plane tunc illi cognita erant: scripsit in secunda & in Hispanica, quia iam illi sufficiens lux cognitionis ad veritatem intuendam affulserat. Quemadmodum etiam libro secundo fatetur se præclarum Ignatij factum addere, quod in prima editione non scripserat, quòd tunc ad suam notitiam non certo nuntio peruenerat. Quapropter non omnino prudentes, aliorum prudentum iudicio, fuerunt illi æstimatores, qui prætermissam reuelationem Quadrati putauerunt in Hispanica, quòd falso, vel incerto testimonio niteretur. Poterant in sagaciſſimo historiæ scriptore, & fide pleno, vt merito dicitur, (& cui Castaldus non multo ante scripserat, fidem esse dandam sine ambiguitate,) existimare prætermissam, quòd nondum illi timido nimis ac religioso in similibus rebus euulgandis, certo constaret, vt in alijs factum ab eo videmus, qui addidit in Hispanica & Latina posteriore, quæ non scripserat in priore. Nam res dubias, sapientes & iura suadent nobis, vt in meliorem partem interpretemur, & bonum potius, quàm malum præsumamus. Atq; ita ego interpretabor, siqua Castaldus addiderit in secunda editione vitæ B. Caietani & Pauli quarti: quod futurum spero, quia quotidie aliquid de nouo studiosis ingenijs occurrit. Denique antequam ad alia transeam, rogo etiam atque etiam Castaldum, vt relegat attentius præfationem Hispanicam, & legat accuratè præfationem Latinæ secundæ editionis: in quibus non inueniet à Ribad. dici in ea, *multa cassare*, hoc est delere, seu prætermittere, quæ in prima scripserat. Primum enim ipse fatetur in secunda, tria genera rerum addere, quæ ibi numerat; non tollere, aut detrahere, aut omittere quidquam. Deinde in processu iuratus dixit nescire se in vlla trium editionum (nam Hispanicam dicit esse versam ex Latina secunda, siue eandem prorsus esse) falsi quidquam scripsisse. Periurus autem fuisset, si aliquid falsi deprehendisset in prima editione, cum alteram scriberet, quod ex illa prima delendum fuisset. Ex quo apparet exacta diligentia, & exquisita religiositas conscientiæ Ribadeneirę, qui nihil in prima scripsit, quod postea, vt minus verum, ac certum oportuisset auferre.

Supra §. 22. n. 83.

L. cũ creditor. ff. de furtis.

L. merito. ff pro socio.

Rib. l. 5. c. 11.

Id. l. 2 c. 2.

§. XXIX. DOM. CASTALDVS.

102. NEc prodest Nigronium vti Ribadeneiræ testimonio; non equidem

"quidem in vita Ignatij, sed in eiusdem vi-
"tæ compendio. Qui enim fieri potest, vt
"quod in vita Ignatij copiosè digesta o-
"missum est, in compendio colligatur?
"Nonne ridiculum videtur copiosius esse
"compendium, quàm accurata totius vitæ
"descriptio, præcipuè in re tanti ponderis?
"Vel itaque Ribadeneira hoc verum cen-
"suit, sicque minimè in vitæ descriptione
"omisisset: si autem omisit, certè tanquam
"inane atque figmentum repulit.

Ad §. 29. Iulij responsio.

103. Præscripta verba non sunt in epistola Vicetiæ cusa: leguntur in ea, quæ insita est Neapoli biennio post, in summa Dom. Andreæ Molfesij. Vnde appareret deprehensum esse oculi errorem in distinguendo compendio ab integra vita. Defensione accurata & perspicua mihi opus est, quoniam obiectorum omnium hoc est grauissimum, figmenti verbo iactatum non in me tantum, qui compendium alligauerim, sed in Ordinem vniuersum, qui figmenta sub Ribadeneiræ nomine typis vulgari permiserit. Hanc ob causam subdubitaui, num ab alio quopiam facta sit hæc additio, quàm à Castaldo. Ridiculum esset, & verò etiam iniquum, copiosius prodire compendium, quàm vitam integram, si compendium ab alio, quàm ab auctore factum fuisset; quoniam parum fidelem opifex compendij se præbuisset, addens de suo, quod auctor non scripsit, & per hoc adulterans historiæ veritatem. Verum ab auctore ipso Ribad. compendium factum est, vel, vt ipse melius loquitur, vita breuior; post inchoatum processum, ac maiorem magisque certam multarum rerum notitiam, quæ illi scrupulos & timorem exemit, licuit & libuit auctori dum contrahit in breuiarium longiorem vitam, detractis narrationibus ad progressum Societatis pertinentibus, omissis multis rerum circumstantijs, & alijs rebus, vt fieri solet in summarijs conficiendis, addere quædam post alias additiones cognita, & maximi momenti. Quod compendium appellans vitam breuiorem, tacitę huic dubitationi, quam refellimus, occurrit: quia scribens tertio vitam, quamquam breuiorem, non tenebatur legibus scribendorum compendiorum, per quas nihil addere licet, quod non sit scriptum ab auctore. Scripsit autem hanc vitam breuiorem Hispanicè an. 1604. cui anno 1609. adierit decretum de beatificatione & missa B. Ignatij. Habeo apud me Italiæ conuersam à Sallustio Gratio Senensi, & editam Venetijs anno 1606. à Ioan. Baptista Cietto, & recusam Genuæ 1618. à Iosepho Pauone. Habeo & Latine redditam ex Hispanico in capita distributam, cum Græca interpretatione apposita è regione, impressam Augustæ Vindelicorum anno 1616. Legitur quoque hæc vita breuior in postrema editione Laurentij Surij Coloniæ anno 1618. sub die 31. Iulij. est etiam mihi in manibus quarta editio compendioli ex vita breuiore compacti à Iacobo Bidermano, sub titulo Rerum à B. Ignatio gestarum excusi an 1615. Monachij; in quo sub §. 193. fit mentio prædictionis huius. Ergo Ribadeneira in hac vita contractiore in codice Veneto, pag. 113. & in Latino Augustano c. 18. rationem reddit miraculorum additorum his verbis: *Quia verò postremo libri quinti capite de miraculis breuiter egimus, quasi nulla feciſſet, aut ad demonstrandam eius sanctitatem necessaria non essent; statui nunc ea paullo fusius exponere, non omnia quidem, (res enim nimis in longum excurreret) sed partim dumtaxat eorum, quæ Deus efficere per seruum suum dignatus est. Quamuis enim cum anno 1572. primum vitam eius Latine scriberem, alia nonnulla miracula ab eo facta nouissem: tamen adeo mihi certa & explorata non erant, vt in vulgus edenda mihi persuaderet. Postremo vero quæstionibus de eius in Diuos relatione publicè habitis, grauibus & idoneis testibus fuerunt comprobata:* & alia in eandem sententiam. & paulo post: *Prætermissis igitur ijs miraculis, quorum*

Ribad. c. 18. vita breuior.

in eius vita mentionẽ fecimus, quæ multa magnaq́ sunt, prædictionibus iã aliisq́ præclaris Dei muneribus ac donis, miracula hic pauca de multis afferamus, quæ Deus huius B. Patris supplicatione perfecit. Perspicis lector Ribadeneiram in vitis prioribus non negasse, sed scripsisse multa miracula: manu tangis modestiam & scrupulos, quibus retinebatur ne certa alijs miracula, ipse non proderet, quod superius significatum est. Adde quod paulo ante dixerat in vita breuiore Italicè reddita pagina mihi 113. *Præter donum prophetiæ, quod Deus Dominus noster huic B. Patri communicauit, dedit etiam gratiam patrandi tum in vita, tum post mortem, multa & magna miracula.* Nec contentus eorum narratione in hac vita contractiore, curauit æneos typos incidi, & ijs in chartas simul omnia miracula imprimi Antuerpiæ anno ante mortem, hoc est 1610. & per orbem vulgari. Nam ipse viuere desijt octogenario maior an. 1611. 22. Septembris. Postremo Castaldus nihil hæsitet in præstanda fide Ribadeneiræ hæc scribenti in vita breuiore, de miraculis in vita factis. Nam eius scriptio congruit ad amussim cum sententia Romanæ Rotæ de beatificatione B. Ignatij, ac Decreto Cardinalium sacris ritibus & canonizationibus præpositorum, à Paulo V. confirmato, & per Domininum Cardinalem Pirellum sacri collegij decanum, & illius congregationis præfectum vulgato, 27. Iulij 1609. In eo testificatur hic vir Illustrissimus sacram illam congregationem ad id decretum sanciendum venisse, *Ob excellentiam & sanctitatem eius vitæ, atque ob miraculorum coruscationem quæ Deus præter consuetum naturæ vsum, eiusdem Ignatii meritis & intercessione tam dum viueret, quàm post eius felicem in Domino obdormitionem operari dignatus est, & quotidie in dies adhuc operari non dedignatur.* Descripseram hæc ipsa verba ex anthentico exemplo in comment. ascetici, Cæterum an. 1622. 27. Ian. Nicolaus Zambercarus in consistorio coram Greg. XV. ex approbato processu post narratum miraculum in Lissano ex desperatione suspenso patratum, retulit in eius actis supra ducenta huiusmodi miracula recensèri.

Supra §. 28. n. 101

Iul. Nigr. part. 1. tit. n. 18.

104. Quod autem vitæ breuioris huius falsitatem nullam continentis, verus auctor sit Ribadeneira, vt & aliarum editionum Latinarum & Hispanicæ, probatur ex processu canonizationis B. Ignatij, in quo Ribad. examinatus fuit anno 1606. mense Octobri. Hic in 62. articulo testificatur omnes libros commemoratos, (quos ipse in responsione sua recensèt & designat) à se fuisse conscriptos, & inter alia sic legitur in rem nostram: *Et tertia impressio, quæ de historia ista facta fuit vita breuior, quam reduxit in Hispanum sermonem ex libro flos Sanctorum, qui impressus fuit Madriti per Ludouicum Sanches impressorem anno 1604. In omnibus huiusmodi vitis, protestatur hic testis, sub iuramento, quod fecit, se nescire quod aliquid adsit, quod falsum sit: & id quod dicit se vidisse, vidit: & quæ audiuisse dicit, illa audiuit; & sic de aliis rebus, quæ in prædictis vitis continentur.* In ascetico meo commentario reuelationem factam à B. Ignatio Petro Quadrato adolescenti de qua est disceptatio, non expressi, sed duntaxat indicaui, tum causa breuitatis, tum quòd putarem iam satis esse peruulgatam. Placet nunc, vt integra sit historia disputationis huius, in gratiam lectoris huc eum transcribere ex ipso Ribadeneira, verbis Gasparis Quartemontij, qui breuiorem vitam Latinam fecit. *Cum Parisiis venisset in Belgium, precariam pecuniam sustentandæ vitæ gratia, vt diximus, quæsiturus; & à quibusdam mercatoribus inuitatus Antuerpiæ cum ijs epularetur; adolescens quidam inter eos aderat modicum seiunctus à cæteris, Petrus Quadratus nomine, Medinæ Campi natus; in quem coniectis oculis, iussit eum propius accedere. Cum enim aiebat inposterum optime is esset de Societate*

Rib. in vita bre. cap. 17.

Iesu morituru, par esse, vt amicitiam iam tum coirent; seque magnopere Deo sciret esse obstrictum, quod se ad constituendum olim Societati Iesu collegium delegisset. Quod vt multis annis ante iacta Societatis fundamenta prædixit, ita re ipsa veram prædictionem fuisse compertum est. Longo siquidem interuallo Petrus ille Quadratus & Domina Franciſca Manson conux eius Merbinæ campi Societatis collegium ædificarunt. Hæc Petrus: qui de euentu, hoc est de hac ædificatione collegij & dote redituum per istos facta (Sexennio postea quam eò Societas venerat) narrauerat in vtraque vita Latina; & in vita Iacobi Laynez: vbi præterea tradit ab hoc Quadrato Ignatium studentem Lutetiæ fuisse adiutum eleemosynis; & ab eodem fundatum collegium anno 1557. B. Ignatio mortuo; & Vicario Generali Iacobo Laynez; quod etiam ante hanc ortam controuersiam scripserat Franciscus Sacchinus in secunda parte historiarum Societatis Iesu. Conferat lector testimonium Ribadeneiræ, cum narratione Orlandini, quam paulo post ipse Castaldus referet, & intelliget quam bene inter se consentiant. Ex dictis leuissimo flatu franguntur cornua dilemmatis à Castaldo directa in hanc reuelationem. Nam Ribadeneira veram censuit illam reuelationem, & ideo in vita breuiore vulgauit: prætermiserat in alijs editionibus, non quòd figmentum existimaret, sed quod nondum adeo rem exploratam haberet, vt prodendam iudicaret, quod obtinuit ex processu.

Rib. l. 4. c. 4.
Id. l 2. vitæ Lac. Layn. c. 3.
Fræc. Sacchi. p. 2. hist. soc. an. 1557. n. 116
Infra §. 31. n. 107.

§. XXX. DOM. CASTALDVS.

„ 105. ILlud prætereà pro hac veritate non
„ leue argumentum est, quod Fran-
“ ciscus Ribera præclari vir ingenij præstan-
“ tisque virtutis, cum in tractatu de vita &
“ reuelationibus B. Teresiæ, omnes B. Igna-
“ tij reuelationes enumeret (quot enim de-
“ scribit, tot & non plures in Ribadeneira
“ notantur) huius tamen de nouo Ordine ab Ignatio instituendo non reminis-
catur. „

Ad §. 30. Iulij responsio.

106. Si Franciscus Ribera superstes fuisset editioni historiarum Orlandini, scriprioni breuioris vitæ Ribadeneiræ, ac processui saltem inchoato B. Ignatij, reuelationes alias, & hanc præcipue controuersam referre potuisset, sed ante hæc omnia decesserat. Quia vir doctus, prudens ac probus non enumerauit nisi reuelationes eas quas à scriptore fide digno habere potuit: cuiusmodi Ribadeneiram esse sciebat. Nec mirum est illum ignorasse tunc, quod Orlandinus nouerat, tum quia hic Romæ vixit, scripsit, archiuum in sua potestate habuit, ad eum omnia referebantur, quæcunque historiam illustrare poterant. Ille vero vitam traducebat in Hispania sacræ scripturæ interpretationi intentus. Tum quia *Non omnia possumus omnes*, vt verè dixit sapiens mundi nescio quis. Potuit aliquid latere Riberam, quod innotuit Orlandino: quemadmodum Castaldus ait de reuelatione B. Caietani; sibi eam cognitam, Tufo & Caracciolo ignotam fuisse.

virg. Ec. 8.

§. XXXI. DOM. CASTALDVS.

107. IAm nunc Orlandini testimonia ex- „
pendamus. Tria autem hæc sunt, ex „
quibus Nigronij ratiocinatio conflatur. „
Primum habet Ignatium Antuerpiæ „
morantem Mercatori prædixisse futu- „
rum, vt domum Societatis Iesu ipse fun- „
daret. Eius hæc sunt verba: *In mercatorum corona, fertur præcipue in iuuenem è Methymna Campi, Petrum Quadratum nomine, obtusum fixisse, & seuocatum monuisse, grates vt ageret DEO, à quo lectus esset, qui olim in sua patria, Societatis IESV collegium conderet: quam prædictionem multis post annis probauit euentus.* „
Hæc ille. Sed quam fidem huic narra- „

tio

" tioni præstare debeamus, quæ Ignatio " socijsque postea acciderunt, osten- " dunt. Vt enim Petrus Ribadenei- " ra scribit, Ignatius in Belgium non " excurrit nisi annis Domini 1529. & 30. " cum 38. ab Hispania Lutetiam venerit. " Hoc igitur tempore mercatori prædictio " facto est.

Ad §. 31.

Iulij responsio.

108. Aggreditur Castaldus labefactare fidem historiæ nostræ, atque eleuare Orlandini auctoritatem in ea scribenda, vt releuationem ipsam comprimat. Sed frustra. Primum intelligat, Orlandinum non sua sponte suscepisse onus illius historiæ scribendæ, sed Maiorum iussu: proinde omnia illi adiumenta submin istrata sunt, quæ publico historiographo erant opus. Apertum est ei tabularium Societatis: ad eundem præferebantur quæcunque ex prouincijs in hanc historiam mittebantur: eidem suppeditata sunt, quæ à Ribadeneira & Maffeio prætermissa esse constabat. Quapropter potuit aliquid nosse quod alij duo nominati nescierunt. Deinde Orlandino in meliorem vitam translato, hæc historia calamo illius descripta, tradita est Francisco Sacchino recognoscenda, qui præsidijs ijsdem instructus, & acri iudicio præditus, diligenter eam recensuit, & aliqua in parte meliorem reddidit: quia verissimum est prouerbium. *Plus vident oculi quam oculus.* Et in hac recognitione ratam habuit reuelationem Quadrato factam, quod eam veritate suffultam reperit. Tertio stabilitur reuelatio hæc auctoritate Ribadeneiræ, qui duobus modis eam approbauit. Primum quidem referens eam in vita breuiore, nulla cum formidine, & sine verbo *fertur*, quo modestiæ gratia vsus erat Orlandinus. At in hac ipsa epistola Castaldus scripsit Ribadeneiræ fidem esse dandam. *Supra §. 22 n. 83.* Eam ego nunc requiro. Deinde comprobauit reuelationem, approbando totam historiam, quæ antequam typographo daretur excudenda, in Hispaniam ad illum transmissa est, vt eam accurate legeret, excuteret, censeret; quod fecit diligenter, & si quid detractum, aut mutatum est, id non fuit reuelatio, quæ iure relicta est ab eo, qui iam eam in tertia vita vulgauerat. Quartum testimonium accepit à tribus antiquissimis patribus, qui superstites erant in Belgio, & in hanc spiritualem militiam viuo Beato Ignatio, cum quo diu familiariter vixerant, adscripti fuerant. Oliuerius Manareus primus fuit, qui vt est in relatione Cardinalis à Monte, fulgorem in Ignatij facie viderat, qui res arcanas Societatis optime nouerat; quippe qui prouinciarum præpositus & visitator sæpe fuerat; Euerardo Mercuriano quarto præposito assistens, & eo mortuo rexit Ordinem pro præposito generali, atque nonagesimum annum excessit. Alter Franciscus Costerus, vir doctissimus, vt è concionibus, meditationibus, & disputationibus aduersus hæreticos editis notum est, qui collegia prouinciasque sæpius gubernauit, & generalibus comitijs interfuit, & octogenario maior obijt. Idem ferè de Eleutherio Pontano dici potest, qui doctrina, prudentia gubernandi, & experientia rerum nostrarum, vsque ad summam senectutem floruit. Duxi calamum in horum laudes, vt intelligatur à quantis viris, hoc est quam peritis, doctis, probis, quantaque auctoritate præditis hæc historia recognita fuerit in Belgio & approbata, vt alios ordinarios censores librorum & gubernatores Religionis omittam. Hæc ante me scripsit Franciscus Sacclinus in præfatione ad Patres Fratresque Societatis præfixa huic historiæ, cum est edita. Placuit hic summatim exscribere, tum ordinis doctri-

ne seruandi gratia; tum quia suspicor à Castallo illam præfationem lectam non fuisse, quæ tenebras aliquas suspicionis de fide atque auctoritate illius historiæ lecta dispulisset. Quod verò attinet ad annum, quo illa prædictio Quadrato facta est, non videtur nobis laborandum, fuerit ne anno 29. an. 30. an. 31. Tribus annis iuisse in Belgium tradit Orlandinus, & semel etiam progressum in Angliam. Nec pugnantia scribit Ribad. qui ait *primo & altero anno* profectum in Belgium, tertio etiam in Angliam; quia potuit per Belgium & Antuerpiam excurrere in Angliam, Antuerpia soluens, vbi copia nauigiorum. Eligat, quem mauult, annum; nec nobis obest, nec illi prodest, Antequam anni 30. fluxerint collegium Methymnense à Quadrato fundatum est.

Orl. l. 1. n. 65.
Ribad. l. 2. c. 1.

§. XXXII. D. CASTALDVS.

« 109. AT quis prudenter assereret « Ignatium cum socios deinde « seligeret, & simul cum illis multa Deo « vota nuncuparet, deque alio vitæ genere « instituendo cogitaret, noluisse, quod à « Deo acceperat, propalare? Præsertim « cum prudentissimus vir optime sciret, hu- « iusmodi stimulos hæsitantium animis, « quo timor inscitiaque pelleretur, esse ad- « hibendos?

Ad §. 32. Iulij responsio.

110. Monent spirituales magistri, vt dona Dei gratuita supernaturalia occultentur, vt videre licet apud Bernardinum Rosignolium nostrum. Immò Franciscus Ribera noster lectus à Castaldo inter signa cognoscẽdarum verarũ reuelationum ex doctrina Ioannis Gersonis, Cardinalis Turrecrematæ & aliorum, locat desiderium eas occultãdi. Quapropter solemne est sanctis viris visiones, reuelationes, miracula & alia Dei dona occultare, ac dicere cum Isaia: *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Tradit S. Bonauenturæ Franciscum suum hæc verba solitum vsurpare, cum de diuinis donis sermo incidisset; *quia*, inquit, *sacramentum regis abscondere bonum est.* Et quamuis suasu fratris illuminati, visionem illi patefecerit, tamen addidit, mortalium nemini se vnquam dicturum, quæ audiuerit ab eo, qui sibi apparuerat. S. Franciscus antiquiores sanctos imitatus est, Franciscum posteriores: inter quos furt iustis de causis in hac visione reticenda imitator Ignatius. De quo Cardinalis à Monte in cõsistorio secreto coram summo Pontifice hæc ad verbum dixit an. 1622. in processu probata. *Virtutes suas & visiones, quas habebat cœlestes, diligenter occultabat; semperq; inter loquendũ admiscebat aliqua verba, quæ indicia essent humilitatis.* Nõ me latet aliquando Sãctos ad Dei gloriam declarandam, & ad filiorum discipulorumque suorum, vel consolationem in mœrore, vel adiumentum in periculis, vel incitamentũ ad perfectionem, vel ob aliam vtilitatem spiritualem patefeciisse huiusmodi arcana, vt fecit S. Franciscus his ferè rationibus ab Illuminato permotus, aperiens partem visionis, non totam, imitatione Pauli, qui dixit raptum in cœlum, tacuit arcana verba. Verum ecquando, quibus & quatenus oporteat ea publica facere, Sancti ipsi iudicare solent, quos diuina benignitas prudentia spirituali complere consueuit. Quamobrem non est Castaldi, vt reuelationem euertat, præscribere B. Ignatio, quid in hac re illum facere oportuisset: qui pro sua prudentia, quam in eo Castaldus agnoscit, & pro sagacitate (quæ à solertia prudentiæ parte non differt) quam eidem tribuit Orlandinus, nouerat quid quo tempore faciendum esset. Operuit, cum non prodesse visum est: aperuit, cum experiens iudicauit.

2. Cor. 12.

111. Atque hac media via prudentiæ incessisse Ignatium tradunt historici. Maffeius quædam mira de Ignatio

Maff. l. 3. c. 14.

Rosign. l. 1. de discip. perfect. c. 13 n. 13.

Franc. Rib. tr. de reuela. S. Teresiæ c. 1.
Isa. 24. 16
S. Bon. c. 13 vitæ S.

natio narrans, referteum in via dixisse socio, *Codurius noster migrauit è corpore*, & domum redijsse: non dixisse animam eius cœlũ intrasse, vt alias de anima Hozij dixerat. Soluit dubitationem inde ortã his verbis: *Licet iustis fortasse de causis de hoc celauerit, quod iustas item ob causas de illo non reticuerat.* Rabadeneira item scribit Ignatium de rebus suis raro locutum, idque magna aliqua causa excitatum, & parcè, & nascentis societatis initio: *Quæ iam constituta mira taciturnitate omnia sua contexit.* In decursu vitæ cernitur hæc prudens mediocritas. Nam visionem celebrè de Patre æterno Ignatium Christo filio commendante, socijs manifestam fecit. An custodem haberet Archangelum interrogatus tacuit. Hanc reuelationem controuersam sodalibus videtur occultasse, quod non putaret expediens reuelare. Petro Quadrato patefecit, vt eum ad diuinum decretum perficiendum huius prædictionis recordatione incitaret: instinctu fortasse Dei, qui miris modis res ad prædestinatos perducit fines, disponens omnia suauiter, quæ fortiter attingit. Atque vt Castaldo gratificer, dicam hoc loco, cur B. Ignatius noluerit socijs hanc reuelationem patefacere: si qua coniectura me ducere potest in eius intimos sensus. Ante societatem perfectè constitutam, poterat iure vereri, ne illi fidem essent habituri: quoniam non eam poterat præponere adeò euidenter credibilem, vt illi non possent dissentire. Præsertim cum multæ graueſque difficultates ac moræ ab eo præuiderentur, quæ fortè socios incrudelos reddidissent & deterruissent adeò, vt recessuri timerentur. Et quamuis ipse certus esset ac securus, de effectu tamen cum non planè omnia sciret media, totamque seriem rerum illi dictabat recta ratio, vt more hominis spiritualiter prudentis in hac re procederet, vt ab alijs sanctis factitatum esse docebo. Itaque duxit esse consultius, tacitè ac diligenter cooperari diuinæ voluntati per prudentiam & labores, quam iactare suam reuelationem: qua patefacta, laborandum illi fuisset, vt socij fidem ei præberent. *Priusquam prophetia*, inquit Theodoretus, *ex euentu rerum finem consequetur, non parum laboris erat persuadere hominibus, qui tunc viuebant, euentura esse, quæ prædicerentur.* Post societatem fundatam mos illi erat summa taciturnitate comprimere res suas, vt ostensum est. Itaque secum ipse tacitus ac DEO gratus fruebatur diuino beneficio, fructuque suorum maximorum ac diuturnorum laborum. Quid quòd reuelationis huius patefactio superuacanea fuisset? immò & laboriosa. Nam tunc labor subeundus fuisset Ignatio, vt sibi fidem faceret, ne iactator reuelationum sine probatione putaretur. Adde quòd si non patefecit, certè innuit adeò, vt Ribadeneira & alij, qui eius verba acciperent, suspicarentur illi societatis progressum ab initio diuinitus esse compertum. Legatur Ribadeneira lib. quinto vitæ, capit. 11.

Franc. Tob. 12.

Rib. l. 5. c. 3

Rib. l. 2. c. 13

Rib. l. 5. c. 3.

Theodor. 10. de Grac. affect.

infra §. 36 n. 1. 9.

§. XXXIII. D. CASTALDVS.

112. Scio Orlandinum in hanc validissimam rationem conari. Postquam enim prædictionem mercatori factam narrauit, aduertens hoc, vno claudicare pede, coniecturis etiam probare gestit hanc reuelationem Ignatio tunc temporis factam fuisse, & consulto occultatam. *Ex ea vero* (inquit prædictione) *manifestum fit, iam tum fuisse certum Ignatio, & reuelatum diuinitus fore, vt cœtum religiosum ipse fundaret. Et sane tot annorum, totque graues studiorum labores, non videntur ei ætati & rerum gustui diuinarum futuri fuisse tolerabiles, nisi diuinus quispiam monitus, qui de exitu dubitare non sineret, præiuisset. Quam tamen*

"tamen ille donorum huiusmodi sagaciſ-
"simus occultator planius explicare nolue-
"rit.

Ad §. 33. Iulii responsio.

193. Prædictio mercatori facta, adeo non claudicat vno pede, vt etiam currat quatuor rotis, vt hactenus probatum est, & coniectura Orlandini proba est; quia Deus consueuit seruos suos laboribus oppressos & fatigatos reuelationibus, apparitionibus, & alijs modis consolari ac roborare, ne deficiant in via, & deserant prouinciam diuino instinctu susceptam. Paulum gementem sub stimulo carnis, & sibi auferri supplicantem, Deus illis verbis est consolatus: *sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Elias afflictus mærore, metu, lassitudine, in solitudine ac fuga vsque ad mortis desiderium, cibo potuque per Angelum porrecto ita recreatur, vt pergat *vsque ad montem Dei Horeb.* Stephano in pugna constituto Christus se videndum præbet *stantem à dextris Dei*; nimirum vt aspectu suo sufficiat vires: Minatius Felix in Octauio: *Quis non miles sub oculis Imperatoris audacius periculum prouocet?* Antonium in deserto verberatum à dæmonibus Iesus alloquio suo recreat & solatur, vt tradit Sanctus Athanasius. Cur autem occultauerit hanc reuelationem, reddidi iam rationem à sagacitate, quæ est prudentia, & à Sanctorum consuetudine ductam. Hic vehementer mirari non possum, videns tantam in Castaldo difficultatem ad præstandam fidem huic reuelationi: cum adeo sit vsitatum, vt Deus Religionum fundationes, non solum Pontificibus reuelet, vt approbent eas, quemadmodum docuimus in asceticis, sed etiam ipsis fundatoribus à se electis, vt alacriter susceptum opus sibi gratum prosequantur. Sancto Norberto fundatori Præmonstratensis Ordinis Christus pendens è cruce visus est, septem solis radijs fulgens: ad quem magna multitudo peregrinorum cum peris & baculis à quatuor Mundi partibus concurrebat: qui flexigenibus osculo pedum Redemptorem adorabant. Ex quo viso intellexit vir sanctus multitudinem fratrum, qui ad suum Ordinem venturi erant. Addit Seruatius in sua Optica Norbertum multa edoctum fuisse à B. Virgine, quæ inter cætera, monstrauit illi locum, vbi monasterium Ordinis caput ædificandum erat, quod Præmonstratum ex eo dictum est, & Ordo Præmonstratensis denominatus. Sancto Romualdo Camaldulensium monachorum parenti, ostensa est scala de terra pertingens ad cælum, per quam homines in veste candida descendebant & ascendebant: qua præter alia spectantia ad ordinem, candidus habitus significabatur. Narrat S. Bonauentura duas reuelationes S. Francisco obiectas ad Ordinis institutionem & progressum pertinentes. Altera ipsimet Francisco exhibita est in raptu, qui in lumen quoddam absorptus *dilatato mentis sinu, quæ circa se & filios suos, futura erant, luculenter aspexit.* Altera fuit visio Siluestro sacerdoti patefacta, qui post tertiam apparitionem Francisco & socijs eam aperuit. Vidit Asisium à magno dracone circumdatum, & ab ore Francisci crucem auream procedentem, summitate tangentem cælum, brachijs mundi fines; qua visa draco disparuit. Legi apud Franciscum Riberam nostrum, S. Dominico Prædicatorum patriarchæ oranti in templo S. Petri Romæ visos Principes Apostolorum, quorum alter baculum porrigebat, alter librum: qui iusserunt eum prædicare per vniuersum Mundum, ad quod eum elegerat Deus. Et in eadem visione conspicatus est suos fratres, binos pergere per orbem ad prædicandum Euangelium. Cuidam quoque doctori Theologiæ septem stellæ visæ sunt Sanctum Dominicum cum sex socijs, sig-

2. Cor. 12. 9

3. Reg. 19. 8.

Act. 7. 55.

Minut. in Oct.

S. Athan. in vita S. Antonii.

Supra §. 32. n. 110.

Iul Nigr. par. 3. tit. n. 13.

Sur. 6. Iun. in vita Norb. c. 24.

Seruat. in Opt. spec. 3. inst. 5.

Vita S. Romual. in brev. 7. Febr.

S Bon. c. 3. vita S. Franc.

Frãc. Rib. tr. de reuel. B. Tereſ. c. 1. Fed. Caſtal. t. 1. hiſt.

Dam. Gra in vita B. Phil. Benit.

significantes, vt narratur in chronicis Prædicatorum. Virgo quoque Maria primis sodalibus, qui Seruorum ordinem condiderunt, habitum dedit & nomen dicens: *Vos mihi in seruos elegi.* Quid igitur absurdi habet Orlandini stylus, scribens Ignatio non pusilli gregis auctori factam esse reuelationem à Deo de ordine futuro?

§. XXXIV. DOM. CASTALDVS.

« 114. VErum an nouam vt Religio-
« nem conderet, quod Orlandi-
« nus infert, an vero vt proximorum saluti
« prędicationibus, adhortationibusq; con-
« suleret, tot tamq; diuturni studiorum la-
« bores ab Ignatio suscepti sint, quisque si
« velit apud Ribadeneiram perlegat, qui de
« hoc sui parentis consilio late disseruit. Ex
« quo etiam hausi Ignatium, quo gustu
« rerum diuinarum acueretur, studijs ope-
« ram dedisse: vt profecto quam parum
« Orlandini Nigronijq; verbis standum sit,
« penitus appareret.

Ad §. 34. Iulij responsio.

115. Legi ac perlegi sæpius caput 13. libri primi Ribadeneiræ, quod in margine notatur, atque in eius initio reperi hanc conclusionem, *Denique statuit quo proximis eius opera esset vtilior, ad spiritus diuini vnctionem, litterarum quoque cognitionem adiungere.* Quorum verborum sensus est etiam in Hispanica vita. Implicite hic societas designatur, quoniam vt ex alijs locis habetur proximis consulere cupiebat non solus, sed cum socijs, quod est cum societate, vel in aliqua constituta à se congregatione. Hinc videmus inter initia studiorum, socios quærere idoneos fini suo nouo, habitu à communium hominum vsu distincto illos induere; quem illis Completi cum essent, Archiepiscopi Toletani Vicarius interdixit, quod omnes historici nostri produnt. Consentit cum Ribadeneira Orlandinus, sed Maffeius, quod ille implicite significauit, explicatè scripsit. Do verba ipsa ex cap. 16.

Rib. lib. 1 c. 14. Maff. li. 1. c. 17 Orl. l. 1. n. 11. & seq. Maff. li. 1. 119.

In eam denique mentem sese diuinitus plane sensit impelli, vt sine dubitatione statueret, primum operam suam, qualis qualis esset, nequaquam intra vnius familiæ cancellos includere: deinde quo latius pateret vtilitas ac fructus animorum, eiusdem consilij ac propositi idoneos aliquot adlegere socios atque adiutores: postremo, vt sine hominum admirationum versari in adiuuandis hominibus posset, ad sancti Spiritus vnctionem doctrinæ quoque subsidium ac litterarum cognitionem adiungere. Quomodo hic Maffeius habet, quod non scripsit Ribadeneira? quoniam potest vnus historicus nosse, teste Castaldo, quod alius ignorauit. Habuit Maffeius, qui post Ribadeneiræ primam editionem scripsit, multa Romæ adiumenta; lustrauit quoque Hispaniam; & quia curiosissimi erat in materia historica ingenij, multa indagauit, vt suam historiam certiorem ac locupletiorem efficeret. Quod vero secundo loco ait Castaldus hausisse se ex eodem Ribadeneiræ loco, operam studijs Ignatium dedisse, *Quo gustus rerum diuinarum acueretur*, clamo confidenter non extare, ne in Hispanica quidem vita, cuius non fidum interpretem habuit: contrarium potius inest in eo capite: illustrationibus & imaginibus diuinarum rerum, earumq; magnitudine ac crebritate, studia ipsius litterarum cœpta esse impediri; & tunc illa molestia fuisse liberatum, cum eas per dæmonis fraudem agnouit immitti: *vt profecto,* (vtar ipsis Castaldi verbis nomine Orlandini & Nigronij mutato) *quam parum Castaldi verbis standum sit penitus appareat.*

§. XXXV. DOM. CASTALDVS.

116. NEc denique mihi suadere po- »
terit Orlandinus Ignatium re- »
uelationem sibi factam reticuisse, cum »
esset sagacissimus donorum occultator. »
Quid enim in abscondendo hoc dono »
sagacitatis, si huiuscemodi doni propala- »
tio Ignatij sociorumq; consilio erat pro- »
futura? an forte sagacissimus sic dicen- »

" dus est iuuatura reticens , cum ceteras
" reuelationes non retinuit sagax ? Sed
" & prudentissime Ignatium solere , quæ
" Deo reuelante in sodalitatis bonum ac-
" cepisset , socijs narrare, illud osten-
" dit,quod cum in Romano itinere à Chri-
" sto Domino audiuisset , *Ego vobis Romæ*
" *propitius ero*, illico ijs, qui secum in via co-
" mitabantur aperuit.

Ad §. 35. Iulij responsio.

117. Vtrum patefactio illius reuelationis esset profutura,nec ne;non debet Castaldus iudicare, vt supra dixi;sed is,cui facta est reuelatio, qui solet esse vir Deo carus ac prudens in Domino. Non probat auctor omnes alias reuelationes ab Ignatio fuisse patefactas. Hanc generalem propositionem esse falsam,producta reuelatione de custode Archangelo non aperta, probaui: Fateor patefeciisse visionem itineris Romani, sed vnius patefactio non potest probare fuisse consuetudinem in Ignatio patefaciendi : tum quia vna hirundo non facit ver, neque vnus flos aut dies,vt ait Aristoteles; neque vnus actus habitum aut consuetudinem. Tum quia ex ipso Ribadeneira & ex relatione Cardinalis à Monte didicimus, summa taciturnitate in rebus suis narrandis vsum Ignatium,post conditam societatem, sed ante fundationem,parcitate: Causa rationalis fuit cur hanc faceret manifestam duobus socijs, exposita his verbis à Ribad. *Vt & animum illis, & stimulos adderet.* Præsertim cum appropinquaret tempus stabiliendæ societatis & nominis, & tribulationes quoque aduentarent. Addit idem Ribad. interrogatum Ignatium postea de hac visione, non eam iterum narrasse, sed ad Iacobum Laynez amandasse interrogantem ; vt appareat parciorem fuisse in reuelationibus aperiendis,quam Castaldus censeat.

Supra n. 110.

Supra n. 111.

Ar. l. 1. eth c. 7.

Supra n. 111.

Rib. l. 2. c. 11.

Orl. l. 1. n. 30.

§. XXXVI. DOM. CASTALDVS.

" 118. Rvrsus reuelationem hanc non
" accepisse Ignatium satis probat
" longissima de Religione condenda dis-
cussio, habita in Vicentino conuentu. Au- "
diamus Orlandinum: *ergo*, inquit, *ancipiti* Orl. l. 2. n.
cura & contentione, distracti, quo certius ex 61.
diuina voluntate cuncta decernerent, quædam "
præsidia inuestigant. Et primum venit in men- "
tem,vtrum expediret,vt pariter omnes, vel ex "
eorum numero tres quatuorue ad dies circiter "
quadraginta, in solitudinem aliquam sese ab- "
derent,vbi cæteris soluti curis,assidua prece,ie- "
iuniijsq;,& cetera corporis vexatione à Deo lu- "
men & opem poscerent &c. Et infra: *Ea de re* "
(id est de nouo ordine condendo) *cum* "
multis vtrinque rationibus, noctes complures "
disceptatum esset &c. Supra etiam retuli- "
mus aliqua, quibus liquido constat, mul- "
tos ex Ignatij socijs,in eam in primis opi- "
nionem incidisse, vt ceteris suaderent re- "
ligiosum cœtum non esse fundandum,ac "
tandem rationibus concluſum fuisse, So- "
cietatem Iesu esse instituendam, quæ pla- "
ne cum reuelatione Ignatio facta repug- "
nant. Quis crederet sanctum hominem, "
quem omnes vt parentem optimum , & "
cunctorum auctorem venerabantur , à "
quo sæpius diuina eis voluntas innotue- "
rat permisisse , vt dies noctesq; conuen- "
tus ille consumeret, varia mens exquire- "
ret, multas in sententias etiam contentio- "
se abiret , cum posset vnico verbo lites o- "
mnes dirimere,& supremi numinis placi- "
tum, vti solebat, exponere? "

Ad §. 36. Iulij responsio.

119. Non in Vicetino, sed in Romano congressu verba relata ex Orlandino dicta fuerunt : at & cum de voto obedientię tantum differerent, vt ex verbis sequẽtibus patet. Si B. Ignatius habitus ab eis fuisset, aut videns, aut Propheta Samueli atque Isaiæ par , sedere potuisset vnico verbo disceptationes illas dicens, *Hæc dicit Dominus.* At neque Ignatius illis æquabatur Prophetis, neque socij tantam de eo conceperant opinionem, vt ipsius voci, tanquam Dei,obtemperãdum putarent. Quapropter Ignatius è præscripto prudentiæ spiritualis in consultationem omnia vocabat , & in vtramque partem disputari cupiebat , vt optimum

Amos. 1.

eligę-

eligeretur. Franciſcus Sacchinus noſter pręclare oſtẽdit morem Sanctorum eſſe, vt quamuis maiori lumine illuſtrati, ac diuinitus inſtincti ſint, non tamen conſultationes à recta ratione ac prudentia dictatas prætermittant; perinde ac ſi conſilia tunc venirent in mentem: nihilque de induſtria & diligentia remittant, ne Deum tentare videantur. Aptiſſima ſunt exempla ex veteri teſtamento ab eodem allata. Alterum Samuelis, qui iam iuſſu diuino inunctum Saulem in Regem, ſorti coram populo humano more ſubiecit, ſecurus fore, vt ex diuina prædordinatione ſors infallibiliter in eum eſſet caſura. Alterum Pauli, qui Euangelium ab ipſo Chriſto acceptum, quod ex eo ſciebat eſſe veriſimum, cum ceteris Apoſtolis contulit. Addo ipſe alia exempla, Dauid inunctus pariter in Regem à Samuele non deſerit oues, paret patri, obiurgatui à fratribus, timet occidi, fugit, latet, ſimulat inſaniam, atq; ita ſe gerit, ac ſi nihil ſciret de regno futuro; expectãs diuinam directionem, nec dubitans quin eſſet opportuno tempore affutura. Saluator ipſe, quamuis ſciret quid facturus eſſet, ante panum multiplicationem in deſerto, cõſulit tamen Philippum hominum prudentum more, dicens: vnde ememus panes vt manducent hi? Paulus doctor gentium, vt eſt opinio Bedæ allegantis S. Auguſtinum, B. Anſelmi, & Nicolai de Lyra, certus erat de ſua ſalute cum fuerit in tertio cœlo, & audiuerit arcana, & iuxta grauium virorum opinionem, eſſentiam diuinam viderit, ſaltem per modum tranſeuntis: & tamen nihil omittebat eorum quæ ſunt neceſſaria concipiendæ ſaluti, caſtigabat corpus, & merita cumulabat operibus bonis, ſatagens facere certam ſuam vocationem tamquam ignarus ſuæ prædeſtinationis. Atq; vt exeamus á ſacra Scriptura, Malachias Epiſcopus, vt narrat S. Bernardus á Deo ipſo doctus factusq; Magiſter, ab alio magiſtro ſpirituali conſilia petebat. S. Franciſcus, teſte S. Bonauentura, ſimiliter á Deo illuminatus, á quo magna didicerat, conſultabat cum ſuis, quæ ipſe per ſe explicare potuiſſet. Igitur mos eſt Sanctorum procedere in negotijs magni ponderis, per conſultationes, ac regulas prudentiæ, quamuis reuelationes habeant à Deo de ſucceſſu futuro.

1. *Reg.* 10.

2. *Gal.* 2.

1. *Reg.* 16.

Io. 6. 5.

Beda. 2. *Tim.* 4. *S. Anſel.* 2 *Tim.* 4. *Lyr.* 1. *Cor.* 9.

S. Bern. in vita S. Malach. S. Bon. ca. 12. *vita S. Franc.*

§. XXXVII. DOM. CASTALDVS.

120. Illud quoque huic reuelationi obſtat, quod Ribadeneira nõ obſcurè innuere videtur, in Romano itinere, poſt inſignem illam Saluatoris apparitionem, Ignatium animo concepiſſe, ſuam Religionem Societatis Ieſu nomine decorare. Quomodo ergo multos annos ante, iuueni mercatori prædicere potuit fore, vt Societatis Ieſu collegium ipſe fundaret? " " " " " " "

Rib l. 2. *c.* 6. 11.

Ad §. 37. *Iulij reſponſio*

121. Hæc verba in editione epiſtolæ Neapolitana, quę fuit ſecunda, video prętermiſſa. Fortaſſe re melius expẽſa Caſtaldus animaduerterat nihil habere põderis. Verum quia leguntur in prima editione quę fuit Vicetina, debetur illis ſua reſponſio. Primum igitur nego apparitionem illam in Romana via fuiſſe primam, potiſſimam, aut ſolam cauſam imponendi nominis Societati, ex opinione Ribadeneirę. Fuiſſe quidem vnam ex cauſis, & poſtremum impulſum aſſerimus omnes. ipſe Ribad. in cap. notato à Caſtaldo ait hæc verba: *Et tum præclaro illo viſo, tum alijs diuinis illuſtrationibus multis magnisq; ita Dominus Ieſus in eius mente ſacratiſſimum ſuum nomẽ impreſſit, penitusq; infixit, vt eius ex nomine ſocietati nomen imponeret: tam clara ac firma lûce colluſtratus, & vſq; eo pro certo habens id Deum velle, vt ab hac mente ſe dimoueri nunquam poſſe diceret. Quodq; volentibus ſocijs ac conſentientibus fecit, id repugnantibus ac diſſentientibus omnino feciſſet, propter diuini luminis claritatem.* Notet Caſtaldus verba illa: *Tum alijs diuinis illuſtrationibus*, quæ ante id tẽpus in hoc animi decretum coegerunt Ignatium. Adde quod Ioannes Polancus ſcriptũ reliquit, ſe ab Ignatio audiuiſſe, & Orlandinus refert, *Contra Dei nu-*

Orl. lib. 2. 62.

tũ se facturũ, minimeq; leue apud Deum noxam incursurũ, si ea de re vel minimũ hæsitasset. Hęc Ignatij constantia in hac re, verbis commemoratis explicata, nonne fuit reuelationis de hoc nomine imponendo quasi quædam patefactio? Ergo cum opus fuit reuelationem patefecit. Indicat Orlandinus, vbi probabiliter nos omnes arbitramur reuelationem accepisse, cum ait: *Cuius vocabuli species iam inde ex Manresanis de Regno Christi, vexillisq; meditationibus, ac posthea ex diuino illo viso accedenti ad vrbem oblato, præclaris aliis mentis illustrationibus, in eius animo sic insederat, vt nulla humana vi momentoq; rationis, vel ab ea posset appellatione abduci, vel aliam vllam æque aptam excogitare.* Quid quod in conuentu Vicetino anno 1537. (vt bis refert Orlandinus) ante visionem Romanam, quæ acciditanno 1538. & ante congressum Romanum, qui incidit in an. 39. decreuerant, *vt instituta sodalitas Iesu societas vocaretur?* Septimo ab hinc anno ipse in asceticis obseruaueram ex Maffeio & alijs non solam causam huius nominis imponendi fuisse visum Romanum, sed postremum impulsum. Cum igitur Manresana reuelatio aliquot annis præcesserit Ignatij colloquium cum Quadrato, & aliæ illustrationes ab historicis commemoratæ præcedere potuissent, in quibus Ignatius Dei voluntatem pręsensit atq; intellexit; non est mirum id Quadrato prædicere potuisse ac prædixisse.

Id. ibid.

Id. l. 2. n. 25. 62.

Nigr. 3. tit. n. 24.

§. XXXVIII. DOM. CASTALDVS.

122. DVo alia Orlandini loca, quæ Nigronius pro se adducit, nihil probant. In altero enim nihil aliud habetur, nisi Ignatium cum socijs conuenisse institutam sodalitatem, esse Iesu societatem appellandam; quod tamen accidit anno 1539. In altero ipse auctor, huius diuini nominis excellentijs decãtatis subnectit: Hęc & multo plura Ignatius pręuidẽs simul intelligebat nullam iure metuẽdam arrogantiæ notam. Quid autem prudens lector possit colligere illi iudicent, qui nouerunt arrogantiæ metu non percuti, quem diuino afflatum spiritu humana non regit opinio.

Orl. li. 2. n. 25.

Id. lib. 2. n. 62.

Ad §. 38. Iulij responsio.

123. Illa duo loca Orlandini à me in margine notata aliquid habent commodi ac virium ad probanda quæ dixeram. Ex priore cupiebam lectorem intelligere, sodalitatem nostram iam pridem Parisijs institutam, nomine societatis appellatam tum primum consensu patrum anno 1537. in congressu Vicetino, non anno 1539. vt hic Castaldus asserit, quia hoc anno Romæ fuit secundum de hoc nomine decretum. Secundus locus notatus fuit, quia n. 62. repetit quod n. 25. dixerat, de nomenclatura societatis, antequam Romam conuenirent sodales. Præterea indicatus fuit, quia narrat ibi, quæ paulo ante dixi, de constantia B. Ignatij, in eo nomine imponendo, de Manresanis & alijs illustrationibus, ex quibus B. Pater intellexerat Dei voluntatem in ea nominatione. Reuelato nomine, intelligitur necessario reuelata societas: quia quod non erat futurum, nominari non poterat. Quod autem spectat ad arrogantiæ notam, non ea scripsit Orlandinus, quod putaret ab Ignatio metui in seipso arrogantiam; quæ non solet excitari in eo, quem diuinus afflatus regit: sed ob solidas rationes productas existimauit nihil Ignatium metuisse, ne iure ab alijs arrogantiæ accusaretur. Nam illæ rationes ostendunt potius, ab animi grati ac religio si demissione illam appellationem esse profectam: demissio verò & humilitas arrogantiæ inimicæ, omnem arrogantiæ suspicionem auertunt.

Supra. §. 37. n. 121.

Orl. l. 2. n. 63.

§. XXXIX. DOM. CASTALDVS.

124. HÆc sufficere puto non tantum flagitationi tuę, qui de me meaque Religione, quę tua est humanitas, optime sentis, verum etiam ad quemcunq; animũ non penitus à nobis alienum componendũ, vt quæ scripsi, non temere scripta

pta sibi persuadeat. Deuste incolumem diu æternæ felicitati seruet. Neapoli non. Decembris M.D.CXVII.

Ad §. 39. Iulij responsio.

125. Ego quoque sufficere dicam, quæ scripsi, vbi tertium argumentum explicauero de spiritualibus exercitiis, vt promisi, quod in decursu responsionis non habuit, vt cetera, locum opportunum. Luculenter ac solide id Franciscus Sacchinus pertractauit: sed quoniam dixit, idq; valde considerate, præceptiones eorum exercitiorum B. Ignatio fuisse *cœlesti lumine demonstratas*: ideo existimaui hoc eius dictum quam accuratissime corroborandum, vt Castaldus intelligat non sine magno ingrati animi vitio B. Ignatium deserturum fuisse tam magnum Dei donũ, quod illi deserendum erat ad alienam voluntatẽ victuro. Quod Sacchinus scripsit, cõmunis opinio est in Ordine nostro, infixa penitus in animis nostris. Qui prę-

In nom. in præfat. ad exerc. spir.

fationem exercitiorum libello pręposuit, cum primum typis excusus est, tradidit ea documẽta & exercitia spiritualia cõposita fuisse ab Ignatio, docto, *Non tam à libris, quam ab vnctione S. Spiritus, & ab interna experientia & vsu tractandorum animorum.* Eadem verba repetunt & approbant ij, qui Directorium exercitiorum scripserũt, ac recognouerunt, viri docti pariter atque spirituales ac cõscij rerum nostrarum antiquarum. Hi præterea hæc verba de suo addiderunt in ciusdẽ confirmationẽ sententiæ: *Hæc sunt lumina, quæ ei Dominus in ipso primo conuersionis feruore inspirauit, ac deinde in omni progressu eius virtutis & sanctitatis semper confirmauit.* Cõgruenter Maffeius asserit hunc librum & præceptiones esse conflatas *ex ijs, quæ partim cœlesti magistro dictante perceperat, partim etiam ipsemet experiendo cognorat.* Orlandinus aliis verbis sane orãdi artem ab Ignatio compositam ait, partim ex vsu, & quotidiana obseruatione; partim ex eo, *quod à diuino Institutore didicerat. Diuino magisterio* didicisse Ignatius, quæ in hoc libello scripsit, dicitur in relatione facta Gregorio XV. in consistorio publico an. 1622. 27. Ian. à Nicolao Zambeccato aduocato consistoriali, qui hoc eruit ex probato processu rotæ Romanæ. Et sane mos est benignissimi parentis Dei, viris sanctis scientia sæculari & humana minus eruditis (cuiusmodi erat Ignatius in secessu Manresano) quos ad magnam aliquam Ecclesiæ suæ vtilitatem elegit; infundere diuinitus aliquid luminis, quo de rebus spiritualibus plus sapiant, quam mundi sapientes, & eruditi humano magisterio. Tales fuerunt Antonius, Benedictus, Franciscus vterque Assias & Paulanus, atque alij, quos facile in historiis Ecclesiasticis reperies. Et eo probabilius id redditur, quod nonnunquam in eo secessu abalienatus à sensibus, extra se rapiebatur; quod aliis sanctis contigisse legimus, qui tempore raptus occultiora docebantur. Accedit traditio quædam mandata litteris à Ludouico Pontano, cuius meditationes, dux spiritualis, & quatuor volumina de perfectione, doctorum virorum & piorum assensione magna leguntur. Is præterea scripsit Hispanicè vitam Balthassaris Aluarez viri religiosissimi nostri Ordinis, spiritualium documentorum plenissimam; accurate, vt in Hispania fit, examinatam, Latinè redditam à Melchiore Treuinnio Theologo Societ. nostræ Hispano, quæ Coloniæ cusa 1616. ab Ioanne Kinchio passim diuenditur. In c. 43. asserit Ludouicus se hausisse auribus ex ore Ioannis Suarij Præpositi Prouincialis, cum domesticam haberet exhortationem, hæc verba: *Pater noster Euerardus mihi dixit, quod Romæ ex traditione habeatur, P. Iacobum Laynium dixisse, Deum D.N. exercitia Patri nostro B. Ignatio tradidisse.* Noui equidem Ioannem Suarium in Italia, qui erat ex antiquissimis & prudentissimis Hispaniæ professis. Euerhardus autem Mercurianus fuit quartus præpositus generalis, grauitate, ac prudentia tali, vt minime inconsideratus in loquendo existimari queat. Insuper idem Pontanus refert quoque reuelationem ab archangelo Gabriele factam in Hispania anno 1600. personę cui-

Director. exerc. præm. §. 2.

Maff. l. 1. c. 8.

Orl. li. 1. n. 23.

Lud. Põt. in vita Balt. Alu c. 43. § 2.

Id. c. 43. §. 1.

dam altissime orationis, extraordinarjs fauoribus spiritualibus cumulatæ, nostra exercitia facere paranti. *De cuius sincera veritate*, inquit Pontanus, *cum aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in huiusmodi rebus homo habere potest.* Et narrata reuelatione subdit: *De cuius veritate, vt dixi, perpensis omnibus circumstantiis eius, cui facta est, non possum dubitare.* Recenset totius facti seriem, & cautelas adhibitas, ne deciperetur, & tandem hæc Angeli verba refert: *Exercitijs, quæ facere cogitasti per mentis ratiocinationes, & meditationes, magnitudinem Dei, & infinitorum bonorum, quæ per Christum nobis communicantur (in eum ferè modum, quo fiunt in societate) singulare obsequium Reginæ nostræ præstabis. Significat enim tibi, se fuisse & esse tanquam patronam & fundatricem illorum societatis exercitiorum; seque adiuuisse ac docuisse B.P. Ignatium, vt ita fierent: ideoq; hoc nomine initium se dedisse huic operi: immo & se toto tempore vitæ suæ in sanctis huiusmodi exercitijs fuisse occupatam.* Ex narratis apparet quibus magistris eruditus B. Ignatius cõfecerit hoc instrumentum saluandarum animarum: proinde plane est, imo incredibile ab eo fuisse relinquendum, vt aliam Religionem intraret; quæ tunc solitudinis amantior erat, quam conuersionis; & in qua ingressus Ignatius futurus erat discipulus, non magister: cum tamen in hoc instrumento tractando magisterium exerceatur. Neque erat æquum, aut rationi congruum, vt nouitius futurus cum superioribus illius ordinis pacisceretur de hoc magisterio exercendo & retinendo in tota vita. Præterea qui docuit illum, significasse diuinitus eidem probabilissimum est, diutissime eo instrumento vsurum, tum quoad viueret, tum quoad Religio instituenda per eum in Ecclesia Dei perduraret. Adde quod multos iam annos hoc armorum genus tractauerat prospero successu, & huic magisterio insueuerat: quo reddebatur illius desertio & abiectio difficilior. Durum enim est, vt iurisconsultus definit, assueta relinquere: quoniam consuetudo est altera natura, vt obseruauit Aristoteles in moribus, & S. Bernardus etiam in Religiosis. Explicato igitur tertio argumento, & liberata fide data, sufficere arbitror, quæ sunt à me dicta ijs, qui nulla opinione ante occupati sunt, quorum iudicium solet esse sinceriss imum. Satis item erunt R.D. Castaldo si tantisper dum ea leget suam priorem deponat opinionem. Scio scriptum esse ab Origine proprias deponere opiniones esse difficile. Sed dictum vetusti scriptoris interpretor in ijs, qui minus amantes sunt veritatis, quam D. Castaldo cordi esse non ambigo. Postremo spero fore (quod iam significaui) vt mutua nostra beneuolentia minime minuatur; quando S. Thomas Aquinas, & Aristotelis quoque doctrina docet, opinionum discordia, quæ ad intellectum pertinent, beneuolentiam & amicitiam, quæ spectant ad voluntatem, non extingui. Denique quoniam non raro disputationem quandam Francisci Sacchini, de hac controuersia in subsidium meorum dictorum allegaui, vt sit ad manum legere volentibus, ideo hic excudendam curaui.

l. præcipiũt de ædil. edicto. Arist. 7. eth. c. 10.

S. Bern. li. de vita solit.

Orig. l. 1. ad u. Celsũ

S Th. 2. 2. q. 29. ar. 3 ad 2. Ar. l. 9 eth cap. 3.

DE

DE EADEM CONTROVERSIA R. P. FRANCISCI SACCHINI SOCIETATIS IESV THEOLOGI, IVDICIVM.

Cuius sit auctoritatis, quod in B. Caietani Thienai vita de B. Ignatio traditur.

IOANNES Baptista Castaldus, Clericus Regularis é venerabili Ordine, quem Theatinorum vocant, in B. Caietani Thienæi vita non multis ab hinc annis prodidit B. Ignatium Societatis nostrę Parentem anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Venetijs dum socios Lutetia præstolaretur, à B. Caietano Theatinorum præcipuo conditore instituisse, vt in illum se Ordinem reciperet. Sed Caietanum, postquam consuluisset precibus Deum, sine dubitatione respondisse, è maiore Dei gloria fore, si nouam ipse condidisset familiam, actuosiorem, quæ totam se in auxilia proximorum impenderet. Ea narratio cum plane noua & inopinata post tot annos, tamque multos rerum eiusmodi scriptores accidisset, quid ego de ea sentirem, quandoquidem omnem à primis incunabilis ad hanc vsque diem Societatis nostræ memoriam cum attentione curaque scrutatus essem, multi ex me sæpius quæsiuerunt. Quibus ita respondi, vt sibi non mediocriter satisfactum declararent. Nihil tamen existimabam scripto vulgandum, confidens in Historia Societatis adeo cohærenter seriem vitæ Beati Patris, adeoque plene & clare descriptam esse, vt veritas inde per sese sine styli ope elucere posset. Iam vero, vt hoc etiam loco sententiam explicem meam, postulat ex me veritatis eiusdem sanctitas, cui patrocinium pro sua quisque virili omnes debemus. Nam de auctoritate eius Historiæ ita iam non sermonibus modo, sed editis quoque pro vtraq; parte Commentarijs disceptatur, periculum vt sit, ne, dum ad firmandam vnius, vel infirmandam nouæ auditionis fidem, argumenta ex coniecturis petuntur, multarum auctoritas historiarum veterum, quas omnino certas immotasque esse par est, pariter conuellatur. Ad hæc opus Patris Orlandini cum ipse, auctore præmortuo, recognouerim, ratio officij postulat, tum vt eius fidem curamque, tum vt meam vindicem: ne mirum cuipiam aut suspicioſum videatur, quod illius facti muta prorsus memoria apud nos, altumque silentium vbique in nostris sit monumentis.

Porro, quanquam de cætero tenuitatem meam neque ignoro, neque inficior, tamen in hac Controuersia videor mihi posse haud temere profiteri satis me idoneum censeri testem debere. Agitur enim de re, quæ maxime antiquis è codicibus & schedis pendet, in quibus per annos plus quindecim diligentia, quanta maxima non illaborioſe homini fas fuit, assidue versatus sum: & nactus sum tabularium sane quám luculentum, ijsque potissimum instructum litteris, quibus Societatis, & Beati Patris initia fideliter & copioſe explicata conseruantur. Quod si, quæ dixero, eo accipientur animo, quo ex me proficiscuntur, fiet spero, quod maxime optabile est, vt vtraque disceptantium inter se partium vicisse se putet,

quia

quia veritas, pro qua vtraque dimicat, superabit.

Nec vero quam illibatam mihi velim, vllo modo delibarim Castaldo siue in inquirendo sagacitatem, siue in explicando fidem. Itaque pro certo ponatur, quæ ille prodidit, ea nequaquam ex ingenio commentum esse. Non enim indiget Deus ad Beatorum gloriam figmentis humanis, nec fraus modica censeretur talia mendaciter fabulari. Arcet igitur cum rei grauitas, tum viri virtus atq; professio omnem ab eo architectatæ vltro fabulæ suspicionem. Ac ne illud quidem simile vero est, eam rem á quopiam accepisse, qui prudens eam sciensque fallendi studio consarcinarit. Nam nec facile apparet, quid cuiquam venire in mentem potuerit, quare comminiscendum id sibi rumoris existimaret, & scriptoris est accurati non rerum modo pondus examinare, sed auctorum quoque grauitatem ponderare. His positis duo mihi præstanda video. Primum expendendum, illa Castaldi narratio quanta fide digna sit: Deinde inuestigandum vnde nam orta opinio in eam speciem sensim coaluerit.

Principio igitur, certum omnino indubitatumque habendum censeo, nequaquam ita voluisse Beatum Ignatium sancti Nicolai Religiosis adiungi, vt suos quos Parisijs expectabat, socios desertos vellet. Quod vt planissime intelligatur, satis est memoria repetere, & cogitationi subijcere quis Ignatius, & qui status rerum eius esset eo tempore. Sunt enim hominum quidam gnaui magis, ijdemque tractabiles ad exequenda, quæ doceantur, accommodati: alij vero solertes & acres ad excogitandas tradendasque rerum agendarum vias siue ingenio atque natura, siue diuinitus quasi facti. Ex hoc erat genere Ignatius, plenus considerationis atque consilij: continenter obseruans, & prudentissime notans itinera ad Christianam perfectionem. Est hoc manifestum ex eo, quod nunquam discipulus, statim magister diuina manu formatus, initijs & progressionibus suis sagaciter obseruatis, & in præceptiones quasdam relatis, quæ spiritualia Exercitia nuncupaui.; protinus instituit ex ijs quẽcunque capacem deprehenderet erudire. Et postea Societatem editurus plane nouam regulam excogitauit, tamque multis atque aptis munitam legibus condidit. Eiusdem cum aliæ virtutes, tum constantia fuit prope mutabilis. Itaque cum á principio statuisset, quo Dei gloriæ cumulatius inseruiret, præsidia sibi doctrinæ & sociorum auxilia comparare, in vtramque rem tam diu, tamque perseueranter incubuit, vt supra non modo vires, sed etiam prudentiam humanam cuiuis recte consideranti, necesse sit videri, & planum fiat, diuina quadam & sapientia & virtute ductum simul atque corroboratum fuisse. Is cum esset Ignatius & natura, & institutione diuina, qua tempestate Castaldus dicit voluisse ad Beatum Caietanum accedere, nequaquam in primordiis versabatur suę ad Deum conuersionis, cum degendæ vitæ consilia capiuntur; sed iam sextus decimus agebatur annus, ex quo totum se ad perfectæ virtutis exercitationem contulerat. Annum autem agebat ætatis sextum & quadragesimum. Sexdecim vero illos annos ita in suę perfectionis conatu peregerat, vt simul ad excolendos alios omni ope conniteretur: atque ob eam rem in doctrinarum studijs, & adiutorum conquisitione longissimum illud tot annorum spatium posuisset. Sub initia quidem incidit cogitatio in Religiosorum aliquem sese Ordinem immittendi, sed laxioris disciplinæ atque collapsæ, vt restitueret. Iam tum enim ad magisterium vocatur. Sed breui cogitationem illam deposuit, sua ratus consilia quam plurimos adiuuandi, facilius processura, si socios sibi integros, quorumque mores nullam in partem induruissent, quos ad suam volũtatem fingeret, conquisisset. Quod simul atq; decreuit, continuo aliquos in Hispania sibi cõciliauit; itaque habebat addictos, vt vestium quoque eodem omnes habituvterentur: alios deinde, atque alios Parisijs fere

per

per octennium, quod in ſtudijs ibi conſumpſit, aggregauit: ex quibus tãdem lectiſſimam manum, cùm ad vouendam Deo paupertatem, & peregrinationem Hieroſolymitanam, & ad Euangelũ prædicandum, & ſuam operam Summo Põtifici dedicandam compuliſſet; eoſque ſumma ſolertia, ac diuturnis laboribus continuiſſet, prouexiſſet, confirmaſſet; iamque votorum exequendorum cauſa ad omnia derelinquenda, & periculoſiſſimum atque difficillimum iter ſuſcipiendum induxiſſet, eos data fide Venetiis opperiebatur, cùm dicit Caſtaldus egiſſe cum Caietano, vt Theatinum fieri ſe pateretur. Quis autem credat cadere in cõſtantis animi virũ potuiſſe, vt pręſtantiſſimos iuuenes pietate iuxtà & doctrina, & ingeniis, & induſtria, & caritate inter ſe miros, quos tãto labore ſibi cõciliauerat, tantaque felicitate per annos multos excoluerat, cum quibus denique ſocietatem quandam communibus sãcitam votis inierat; poſt tot eorum labores in ſtudiis, poſt abdicatas facultates, & maximarum abruptas ſpes dignitatum, ita repente inſalutatos, & pœnè proditos relinqueret? Eſſet profectò hoc ſuſpicari non modò de Ignatio, ſed mediocri quouis homine ab omni ratione prorſus alienum. Conſtat præterea eo ipſo tempore Ignatium, dum Pariſienſes ſocios Venetiis expectat, nouis ibidẽ venandis ſedulò inſtitiſſe: Stephanumq; & Iacobũ Eguias, itemq; Hozium ſibi adiunxiſſe. Nunquid igitur veteres, adeoq; perſpectos & eximios abiiceret, dũ conquirit nouos? Nũ in alienam ſeſe abdere familiã moliretur, dum amplificandę ſic ſtudet ſuæ? Refugit hoc cogitare ſana mens; & R.D. Caſtaldus in Epiſtola, qua narrationẽ ſuam defendit, non obſcurè fatetur abſurdum eſſe; & ait fortaſſe Ignatium vnà cum ſociis ad Caietanum ſe conferre voluiſſe.

Hoc verò aliquanto minus à probabilitate abeſt, tame & ipſum abeſt longiſſime. Nam vel poſtulare, vel apud animum ſuum ſtatuere Religioſum in Ordinem cooptari cum ſociis, quorum voluntates ignorés, antequam eos conſulas, aut admoneas, & in Ordinem iiſdem prorſus ignotum, cuius tandem prudentię eſt? Plerique eorum, & (excepto Ignatio) fortaſſe omnes (ſic enim diſerte Lainius ſcriptum reliquit) nullam dum ſuſceperant illigandi ſeſe Religioſis votis cogitationem. Negotium eſt tale Religioſa profeſſio, quod quiſque per ſeſe conſideret, per ſeque decernat neceſſe eſt: de alio quidquid polliceare, temere pollicearis. Quid, ſi nouum conſilium ſocii improbaſſent? Num diremptурus erat initam cum eis Societatem Ignatius, & recentibus ſodalibus adhæſurus? Num omnia ſibi polliceri de voluntatibus eorum poterat? Nõ, opinor, in re tam graui tantum ſibi vnquam aſſumpſiſſet. Nam (vt grauius nihil dicatur) id fuiſſet obſequentiſſimorum amicorum humanitate parum humaniter ac ciuiliter vti. Temere etiam fruſtraque aſſumpſiſſet de tam multis, tamque diuerſarum nationum hominibus. Etenim qui poſtea diu deliberarunt, nec ſine contentione aliqua conſenſerunt, vt Religioſis votis obſtringi ſe paterentur in diſciplinam, quàm primam hauſerant, cui per multos annos aſſueuerant, quam rebus cæteris extra vota iam ſectabantur, nunquid tũ diuino in ſeruitio crudiores vitæ genere alieno, planeque ſibi nou obligari vellent? Denique quid prohiberet differre poſtulationem in aduentum eorum, quò grauiſſima deliberatio communibus exequendam ſtudiis, communibus ſuſciperetur conſiliis? Omnia certè ita faciendum prudenti modeſtoq; viro docent fuiſſe. Nec in expectatione quidquam difficultatis apparet, niſi dubitatio atq; formido, ne fortè non cõſentirent, ſibiq; præſentes obſtarent. Atqui hæc ipſa ſuſpicio nõ ſolũ egregiè morato, ſed etiam prudentiſſimo viro manũ inijcere debuiſſet, & ſuſtinere, ne præfeſtinaret. Alioquin, idcircoqui properat, ne reuocetur, nõ præit, ſed fugit: certũq; habet deſerere, quos deſperat adducere.

Deinde tametſi non ſatis alioqui firmum eſt argumentum, cùm quid ideo

negatur esse, quòd ab auctore non traditur, à quo tradi deberet; in hac tamen causa, qui verè velit existimare, planè firmum censebit. Nem initia Societatis, resque Venetiis à Beato Patre gestas socii eius Lainius, & Simon Rodericius in Cōmētarios retulerunt; nec pauca notauit Faber. Ad hæc ipsemet Beatus Pater biennio antequam migraret è vita, Patrum flagitatu adactus, meditatè & accuratè exposuit Ludouico Consaluio. Præterea qui familiariter cum B. Patre agebant, nullam prætermittebant occasionem aliquid expiscandi ex his, quæ sacro illo in pectore condebantur: &, quidquid ex ore sancti patris excideret, studiosissimè colligebant, & litteris consignabant, & in familiari congressu, atque etiam in sermonibus publicis inter domesticas exhortationes per Societatem spargebant. Quod præter cæteros, tres viri religione simul & prudentia sine dubitatione maximi, is, quem dixi Consaluius, Hieronymus Natalis, & Ioannes Polancus diligētissimè præstiterunt, vt nihil de Petro Ribadeneira dicam. Et tamen nulla vsquam mentio inuenitur obiectæ Ignatio eius cogitationis, nulla vocis Caietani, qui dixerit, præstabilius fore, & glorioſius Deo, si nouam familiam cōdidisset. Quod certè non erat cur Beatus Pater silentio premeret, cùm id non tantum ad eius laudē, quàm ad excitandos & confirmandos Socios pertineret. Hæc ita cùm sint, rebus vndique circumspectis, omnino certum mihi videtur, si, quod tradit Castaldus, reipsa accidisset, nequaquam futurum fuisse siue vt Ignatius tam longo tempore, totque occasionibus oblatis nunquam expromeret; siue vt, si is aliquando prompsisset, inter tot obseruantes nemo exciperet, adeò vt ne tenue quidem eius vestigium cuncta in Societate siue in senum memoria, siue in membranis, minùs vtiq; obliuiosis, resideret. Quæ ratio cùm satis per se valida sit, rationibus tamen adiuncta, quas paulò antè ex ipsa re sumpsimus, nullum mea quidem sententia dubitandi locum relinquit.

Hæc verò omnia ex eo magnopere confirmantur, quòd iam pridem genus disciplinæ haud modicè diuersum B. Pater meditabatur; & inde vsque à Manresano secessu collustrata diuinitus mente Societatis speciem cōprehenderat. Quod ipsemet postea, quanquam de cætero sagacissimus diuinorum munerum occultator, satis ostendit. Nam & Lainio asserenti Religiosorum Ordinum Fundatoribus præcipua quæque ad eos spectantia à Deo demonstrari, affirmatè assensit: & Ludoico Consaluio, cùm inter se de propria Societatis institutorum ratione differerent, sic singulorum causas exposuit, vt ad extremum summam omnium in Mānresanum secessum conferrer. Quod non semel factum, sed vsitatum fuisse B. Patri Natalis in suis ad Constitutiones Scholiis narrat his verbis: Cum de instituti ratione rogaretur, solebat causam referre ad eximiam illam mentis illustrationem, quam ipsi Deus gratificatus est Mānresæ, quasi illic omnia accepisset à Domino, quasi in spiritu quodam sapientiæ architectonico. Quibus ex Historiis extra omnem controuersiam positis, ratio talis efficitur. Confitetur Ignatius, quę ad Religionum naturam pertinent, ea Fundatores à Deo prædiscere; igitur & se prædidicisse ab eodem fatetur. Atqui suorum institutorum rationes in Manresanum refert secessum, igitur multo ante, hoc est annis fere quindecim, quàm regulares S. Nicolai Clericos cognouisset, diuinitus instituta illa didicerat. Cui rationi nihil equidem opponi posse video, nisi quis subtiliter cauilletur, quoddam Societatis rudimentum, non ipsam Societatem, nec Religiosi Ordinis condendi consilium eo tempore Ignatij menti insedisse: at illud certè euidenter concluditur, iam tum prima illius semina, & præcipua instituta, ad quæ & sibi & sociis, quos colligeret, vitam accommodandam duceret, animo comprehensa habuisse. Ea verò erant, quæ meditationibus duabus Exercitationum spiritualium, quarum alteri de regno Christi, alteri de duo-

bus

bus vexillis est titulus, continentur. Ex his enim Societas procreata est, easq; in eodem conditas Manresano secessu constat. Summa autem illa erat, quam conceptis votis ad Parisios explicarunt in Monte Martyrum, in proximorum adiumenta cunctis opibus incumbere : Militare Christo; Regnum eius amplificare etiam inter Barbaros, ac nominatim in Palæstina: Summo Pontifici in hoc opus operam dicare suam, & ab eius nutu pendere. Vnde Missiones, quas vocamus, vnde quartum Professorum votum, & ipsa demum, prout ab alijs Ordinibus differt, Societas efflorescit. Hæc igitur forma tot annos Ignatij menti cum inhæsisset, ex eaque vitam suam instituisset, ad eandem socios conformasset, & votorum nexibus constrinxisset, denique ipsis quoq; iam felicibus experimentis eamdem approbari videret; atq; ex altera parte in iis S. Nicolai Patribus contraria videret omnia : siquidem in iis, vt Castaldus ait, solitudinis vigebat amor; quis credat eam formam ita repente abolitam & commutatam, vt in aliam faciem tota transfiguraretur ? vt, qui modo vniuersum orbem terrarum excursionibus obeundis caritate complexus erat, angustis iam se septis includeret: &, qui expeditus præstò esse voluerat ad omnes Pontificum nutus, iam odæo, quod Patribus iisdem semper antiquissimum fuit, mallet affigi ? Non ita profectò est, sed adeò sensibus, imisq; fixam, vt ita dicam, medullis Societatem gerebat, vt & ipsum nomen iam promptum haberet. Itaq; anno proximo cùm Venetijs digrederentur, inter omnes Socios, Ignatio auctore, conuenit, vt quærentibus quod genus hominum essent, responderent de Societate IESV se esse. Quod nomen ita postea idem dilexit semper ac propugnauit, vt nemini Patrum veterum dubium fuerit, quin præstantiore illud, quàm humano sensu legisset. Cùm autem iam ante oblatum appropinquanti ad Vrbem visum, vt modò diximus, illud placuisset, haud temere coniicitur, quemadmodum totam Societatis fabricam, ita nomen ipsum è Manresanis luminibus deportatum.

Sed & aliquid dicamus de Exercitationibus spiritus. Ex illis quantus quantus fuit, totus processit Ignatius. Per eas conuocauit socios, & Societatem institutis & moribus temperauit. Easdem Societati, vt telum diuinæ laudis acerrimum commendatas reliquit. Eas inter summa votorum cupiit Apostolica auctoritate comprobatas videre, & vidit. Per eas magnopere apud omnes, & apud præstantissima quæque ingenia maximè profecit. Et hoc ipso tempore, quo dicitur voluisse Theatinis adnumerari, per easdem & Socios tres, quos supra diximus, aggregauit sibi, & aliis excolendis studiosissime insistebat. Deniq; bone Lector (si quem cognoscēdæ penitus huius causæ cura tangit) quæso, perlege in Historiis nostris quam indidem Venetiis huius ipsius, de quo disputamus, temporis tractu ad Confessarium olim suum de illis scripsit Epistolam ; & animaduerte quo loco eas apud animum suum haberet. Quæro igitur, eas præceptiones earumque vsum secum inuehere cogitabat nouum in ordinem, an deserere & abdicare paratus erat ? Enimuero vt deserere vellet, cadere nequit in cogitationē hominis sapientis. Quid enim certius exploratiusque B. Patri diuinæ gloriæ studiosissimo venatori, quàm illas esse efficacissimas tanti operis administras, & cælesti sibi lumine demonstratas? Neque alrerū dici potest. Nam Religiosi petitor Ordinis in primis necesse est nequaquam sit addictus opinionibus & moribus suis. Quippe docēdus, non docturus accedit. Aliter, suā perdet, alienam turbabit tranquillitatem. Nihil odiosius nouatore, coque aduentitio. Atqui quocunque Beatus Pater cum Exercitiis suis accederet, non discipulus, sed magister adiret. Vno verbo: vbicunque Ignatius cum illo esset libello, ibi Societas Iesu esset. Quod si certum atque perspicuum videtur, neque cum illis, neque sine illis Exercitationibus potuisse alienam suscipere disciplinam

nam, consequens apertè est de ea suscipienda nunquam egisse.

Ad hæc potissima argumenta accedit prædictio edita Petro Quadrato in Belgis, Collegij olim seu domicilij Societatis ab eo Methymnæ condendi. Cui prædictioni, cũ auctoribus multis prodatur, videat quàm iustè abroget fidem, qui sibi postulet. Ribadeneira quidem in Vita Ignatij breuiore eam posuit, & tamen iuratus asseruit nihil se scire, siue in eo, siue in alijs suis de Ignatio libris falsum inesse. Adde, quòd Ignatij ea tempestate sanctitas, & vitæ actio eiusmodi erat, vt sagaciores homines quid effecturus esset, & animo præuiderent, & voce prædicerent. Nam inter eas ipsas excursiones, quas ad colligendam è mercatoribus stipem primis annis Lutetianæ commorationis obibat, Brugas cùm aliquando veniisset, vocatus est ad conuiuium à Ludouico Viue homine claræ eruditionis ac famæ. Postque conuiuium Viues de eo sodalibus, sanctum hominem esse dixit, & Religiosum quempiam Ordinem haud dubiè conditurum. Quod aliquimox auditorum ipsi Ignatio retulerunt; & ab Ignatio certa causa proditum Ioannes Polancus scriptum reliquit. Cui ergo mirum videatur id Ignatiu de Quadrato Dei monitu prædixisse, quod Viues de Ignatio ipso sola, vt reor, coniectura est assecutus? Dubitemus autem, vtrum auctor multis pòst annis, cùm esset Venetiis, Religione iam propè condita, de condenda cogitaret, cùm homines aliarum magis, quàm piarum rerum intelligentes tam multis ante annis condendam præsagirent. Solebat Bobadilla assumptæ in cælum Deiparæ diem Natalem vocare Societatis, quòd eo primũ die in Monte Martyrum primi Socij prima vota suscepissent. Quod quanquam (vt suprà est demonstratum) si sociorum animi spectentur, qui de perpetua in posteros transmittenda familia nihil dum cogitabant, piè magis, quàm exactè dicitur; tamen, quod ad Ignatium pertinet, procul dubio, magnum eo die fundamentum iecit operis, quod iam diu moliebatur.

Nec vero hæc eo disputantur, quòd condendam Societatem præuidere Caietanus requiuerit, tanquam iam condita esset. Nam verè anno illo sæculi euntis trigesimo sexto nec dum in Religionem perpetuam Socij consenserant; nec Apostolicæ auctoritatis robur accesserat: vnde religionis firmitas, & quasi vita pẽdet. Quæ cùm essent futura, nemo negabit potuisse à Caietano prædici. Nec sane nobis posset non iucundum & perhonorificum esse talis quoque viri de approbatione diuina nostri Ordinis testimonium. Sed illud disputatur, sit nec ne verisimile à Caietano talia prænunciata, vt Ignatium petẽtem in eius cœtum admitti, dehortaretur. Quod ab omni similitudine veri alienum ostenditur, cùm cœtum iam suum Ignatius non solum magnifice inchoatum, sed prope absolutum haberet, quemadmodum prosperrimus cœptarum rerum cursus pollicebatur, & multò magis præscisio iam pridem (vt argumentamur) hausta diuinitus. Quam ille præsensionem non penitus, vt ostensum est, clàm habuit, sed minime venditauit; quia verè id, quod appellatur ab Orlandino, diuinorum munerum sagacissimus erat occultator. Nam alioqui quantum cælestium luminum sanctæ modio humilitatis absconderit, satis indicarunt voces ac vota Confessarii eius Iacobi Eguiæ: qui vetitus ab Ignatio, quæ de eo audiuerat, dum idem viueret, aperire, in admirationem omnes rapiebat, significans, quæ esset euulgaturus, si vel paululum ei superfuisset. Ostendit apertius chirographum ipsius Ignatij post eius finem repertum, in quo sanctissimus Pater sensus cœlestes, & oblata sibi per quadraginta dumtaxat dies lumina adnotarat. Quem libellum ideo videtur Deus confici seruarique voluisse, vt inde cõiectura de reliquo tempore peteretur.

Minime vero mira debet videri & huic aduersaria disputationi illa ad Societatem stabiliendam perficiendamque le-

nis.

nis ac lenta progressio, habitæque consultationes, perinde ac si tum primum consilia in mentem venirent. Etenim solenne est Dei famulis, quæ numinis præceperunt instinctu, sic administrare, tanquam oblatis in re præsenti consiliis verterentur: nec ferè prænotio nobilior facit, vt humanam prætermittant industriam. Ita Paulus destinatus à Deo Gentium Doctor, Euangelium, quod nec ab homine, nec per hominem acceperat, tamẽ cum primariis Apostolorum contulit. Ita Samuel poscentibus Iudæis Regem daturus, cum iam priuatim inunxisset Saulem, conuocauit populum, & permisit rem sortibus, & sortes ita Deus temperauit, vt idem Saul eligeretur. Similiter ergo Beatus Ignatius, quæ habebat ex afflatu superno mente præcognita, per mollissimas vias, quas prouidentia diuina subinde pandebat, sensim deducebat in opus, vt si sub manum consilia nascerentur. Ex his omnibus satis opinor, constat, fieri non potuisse, vt Ignatius cùm iam suam haberet infixam in animo condendæ familiæ speciem, in aliam haud parum diuersam neque solus, neque cum sociis ita vellet transire, vt penitus desereret suam. Quòd si probabile quid dicendum sit, illud potiùs dicetur, quoniam in recenti illo religiosissimorum Clericorum Sodalitio non pauca cernebat, quæ cum forma sua congruerent, id tum fortasse actum, vt vnus quidam tertius Ordo viris institutisque permixtis, componeretur. Quod mox magis illustrabitur cùm pauca de ea ratione dixero, qua tota funditus euerti videtur Castaldi narratio, dum per id tempus ostenditur nequaquam Venetiis Caietanum, sed Neapoli fuisse. Nam quod idem in defensione respondet, fieri potuisse, vt per idem tempus Venetias Caietanus excurrerit, tametsi aliquid est, tamen parum est, vbi pro certa narratur Historia. Minime enim tollit, quin tota narratio, nisi ruat, saltem nutet, vt instabili nixa fundamento. Nam sicut fieri potuit, vt iret, ita vt non iret. Quin etiam de commoratione Neapolitana constat, de Veneta excursione non constat: solùm coniectura ducitur ex hoc facto, quod est in Quæstione; quod est alioqui tale, vt ex eo ipsa profectio negari probabilius, quàm affirmari queat. Nihil igitur illud factum profectionem astruit, sed potius destruit. Nam vbi infirma imponuntur infirmis, vtraque citiùs collabuntur. Mihi verò propiùs ad fidem in omnes partes videtur, iter nullum fuisse. Nã sancti viri, & in publicas vtilitates magnopere occupati longa itinera non sine magnis causis suscipiunt Magnæ porro causæ sunt magna negotia. Hæc autem Caietanus vel pro re Christiana publica, vel pro priuata sui ordinis suscepisset. Si primum, qui lateret? Nam magna negotia, & publica, vti geruntur, ad multorum emanant notitiam, ita cùm gesta sunt, ad posterorum perseuerant memoriam. Alterum quî opus erat, cùm propediem generalis conuentus esset habendus Romæ? Quî etiam lateret, cùm insigniorum virorum res, & multò magis Religiosi Ordinis Conditorum, non studiosè tantum, sed & religiosè obseruentur, & asseruentur? Ita ne fieri credibile est potuisse, vt vir sanctus, idemque sacræ parens familiæ vltrò citroque nobilissimis ex vrbibus longinqua peregrinatione commearit, & nulla vsquam itus, nulla reditus vestigia extent? nulla in priuatis, nulla in publicis siue commentariis, siue epistolis (quas tamen multas intercedere talibus in vsibus necesse est) argumenta supersint? Sed, inquies, hæc sita sunt, vnde nam Castaldi narratio? Id iam, alterum è duobus initio propositis, caput aggrediens, breuiter explicabo, &, nisi magnopere fallor, proxime ad veritatem.

Certum est egisse Venetiis Ignatium familiariter cum Ioanne Petro Caraffa, crediderim & cum aliis eius sanctæ domus Patribus. Nam & verum est, pares cum paribus; & verisimile est Ignatium, qui nouam ordiebatur disciplinam, recentis illius, sicut & veterum, institutaL 3 non

non diligenter voluiſſe cognoſcere. Nã, tametſi præcipua quæque diuinitus, vti eſt ſatis confirmatum, acceperat, ad expolitionem tamen ac perfectionem operis humanam adhibebat curam. Atque equidem tum contractam exiſtimarim familiarem quandam caritatem, & mutuam fiduciam, quæ diu poſtea viguit, inter Sancti Nicolai Patres, atq; Patauinos, itemque Romanos noſtros. Namq; anno ſæculi eius quadrageſimo ſeptimo cùm Patres illi domicilium Romæ optarent, ad Ignatij auxilium confugerunt. Quibus Beatus Pater nõ modò omnem ſuam ſpopondit induſtriam, ſed & eos domum inuitauit, vt ipſi præſentes rem ſuam pro arbitratu melius adminiſtrarent: ac viciſſim in Collegij Patauini negotio iidem Patres adfuerunt Societati. Cæterùm nõ familiarem modò vſum Beato Patri cum Caraffa, ſed & aliquod diſſidium interceſſiſſe item eſt plane teſtatum. De qua re Polancus hæc ad verbum in litteras miſit: Hîc etiam inter alios cum D. Ioanne Petro Caraffa familiariter egit aliquando, & de rebus quibuſdam ad nouum Ordinem illum pertinentibus eum ex caritate prudenter admonuerat. (Vide quantum aberat, vt recipi ſe poſtularet.) Sed non admodum libenter, quæ ſuggeſſit, audita fuerunt. Et quamuis nulli vnquam Ignatius retulit, quæ illi cum prædicto Ioanne Petro Caraffa accidiſſent; facile tamen ex eius verbis intelligi poterat, non leuis fuiſſe momenti quidquid illud ſit, quod inter illos actum fuit. Et inde ortum habuit, quod nonnulli ſuſpicabantur, & dicebant ipſum Ioannem Petrum Caraffam poſtea Cardinalem Theatinum, ac eumdem Pontificem Paulum Quartum, non admodum erga Ignatium affectum fuiſſe, quãuis illum ſemper, etiam dum Pontifex eſſet, magno honore proſequeretur. Hæc Ioannes Polancus, quo Ignatij res nemo interiùs nouit, in vita eiuſdem, quam ſcriptam reliquit, prodidit. Nam (vt obiter hoc dicatur, quod & Caſtaldus non illibenter audiet, qui mirari videtur tradita ab aliis Ignatij miracula, quæ Ribadeneira prætermiſiſſet) neſcio quæ mens incidit Ribadeneiræ, vt multa eius generis præteriret, quamuis ab idoneis teſtibus accepiſſet: quod grauiſſimis quibuſdam eius ætatis Patribus probari non potuit, minimeque Polanco. Eaque cauſa tum eidem Polãco fuit colligendarum pleniùs Ignatij rerum, tum Euerardo Præpoſito curandi, vt à Ioanne Petro Maffeio eædem maximè, quas Polancus collegerat, ederentur. Itaque non ideò miracula Ignatij prætermiſit primò Ribadeneira, quòd nulla audiſſet, ſed nimia quadam religione, vt ipſemet in contractiore poſtea vita confeſſus eſt. Sed ad propoſitum reuertamur. Vtrum Caietanus Venetiis adfuerit, quo tempore cum Caraffa Ignatium egiſſe & diſſenſiſſe diximus, minime liquet; ac potiùs abfuiſſe concluſimus. Illam verò diſſenſionem ſimile vero eſt in forma Religioſæ diſciplinæ extitiſſe, præferente ſuam formam Caraffa, Ignatio ſuam. Ignatius quidem ex eo tempore ſuis cœptis moram à Caraffa vehementer timuit; & Caraffa ſemper creditus eſt voluiſſe ex gemina hac familia vnam confici. Et cùm alia quædam in Societate deſiderabat, tum ſemper oſtendit minimè ferendum, vt communis Pſalmodiæ cantibus abſtineret. Hoc itaque caput eſt, vnde Caſtaldi commemoratio quaſi tela retexitur. Volebat Caraffa noſtros Theatinis adiungi, volebat eoſdem chorũ aſſumere. Repugnabat Ignatius, quòd aliud in Manreſano ſeceſſu contemplatus erat, ſibique imitandum putabat exemplum. Caietanus ſiue tum Venetiis, ſiue poſtea (nam ea controuerſia diu mãſit) cum Ignatio ſentiebat, non eſſe Dei Eccleſiam nouo Ordine ſpoliandam; nõ eſſe Religiones omnes in vnum eumdemque habitum modumque redigendas: præſtare, vt Societas expedita choro, tota proximorum vtilitatibus dies ac noctes vacaret. Quæ cum audirent iuniores, nec interiora diſtinctè noſſent, & obſcuriùs, quæ confuſe acceperant, vti

fit

fit, traderent, alia aliis addentibus, sensim sine sensu fabula adoleuit ea, quam tandem bona fide in lucem Castaldus emisit. Nam nemini peritiorum, qui obseruarit quàm facile, & quibus de causis sermones degenerent, & nouas facies induant, & paulatim monstra, nemine sentiente, fingantur, difficile erit credere ex eo, quòd Beatus Caietanus aiebat præstare, vt Ignatius nouam Religionẽ, eamque actuosiorem conderet, cùm ignorarent causam, quare hoc diceret, suspicatos homines ideò dixisse, quòd ille vellet ad eius numerũ aggregari. Nimirũ fert hoc humanæ mos imbecillitatis. Mirum, an potius miserum est, quàm facile id, quod non illigatum est litteris, elabatur & fugiat; & hinc acquirens non sua membra, inde sua deperdens, instar Protei commutetur. Miserum est, quàm facile quædam excidant è memoria, & alia per sese affingat ingenium, quæ tamen is, qui narrat, nihil mutata sentiat, & prorsus genuina iudicet. Hoc igitur modo, quod Castaldus de Beato Ignatio prodidit, simpliciter, & sine raude, vti acceperat, enarratum decet existimare; quod tamen diligenter inspectum atque excussum quantum habeat constantiæ atque soliditatis, æquo Lectori iudicandum ex dictis relinquitur.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

